



CHOLOBVLEMANACTION:

idest,

PRÆCEPS IVDICIVM PRINCIPVM.

AVCTORE FRANCISCO HOMINE Abræo, Lusitano; Cive Eborensi; Salmanticensi Doctore Philosopho; Iurisperito, & Theologo Laureato; Primariæ Hispaniarum, pro amæniorum humanitatũ eruditione; Cathedræ, ex rescripto Philippi Quarti moderatore.

SACRVM

D. D. FRANCISCO MELLIO, Principum non præcipitum soboli.

CVM LICENTIA.

SALMANTICÆ.

Apud HYACINTHVM TABERNIEL.

Anno M. DC. XXVIIJ.



CHOLOBVLEMANACTION,

idest,

PRAECEPS IVDICIVM PRINCIPVM.

AVCTORE FRANCISCO HOMINE Abreo, Lusitano, [illegible] Eborensi, Salmanticensi Doctore Philosopho, Iurisperito, & Theologo Laureato; Primo [illegible] Hispaniarum [illegible] eminentissimae Cathedrae [illegible] Philosophiae [illegible] moderatore.

SACRVM

D.D. FRANCISCO MELLO, Principum non praecipitum soboli.


CVM LICENTIA.


SALMANTICAE.

Apud Hyacinthum Taberniel.

Anno M.DC.XXVII.




Ecimbellem Feroces Progeneran Aquilæ Columbam
Patrono Opt. D. D.
Francisco Mellio memor
cliens. Dor. Sabu. Franciscus
Homo Abrams sacrat
Ignorat m
tis darem
nera quis
bilibrum
Etquimi
raturfer
reate la
dori
Iu. Bapta. Morales en Madrid.



AMPLISS.^mo INTEGERR.^mo CLARISSIMO D. D. Francisco Mellio Marannij, in Transtaganâ prouinciâ Domino quadrigeminis pro Christi militiâ, Cõmodis, in Heluiensi vrbe, oppidis Gundare, Vimioso, & Maiorcâ condecorato, inter pincernas regios, à nostro Ioue, Philippo Quarto, aureo illo æuo, quo Remp. capessijt, designato, pace inclyto, egregio bello, morum, sapientiæ, prudentiæ facibus ornatissimo.



QVAESIVI, vir amplissime, cui opusculi huius munus deferrem, nec inueni, cui magis vellem; cui magis deberem, quam tibi. Vellem, quia præceps iudicium principum, non nisi principi non præcipiti, regum cirata, nõ nisi regiæ sobolis heroi, ad virtutum omniũ culmẽ euecto dicari oportet. Deberem, propter singularia, quibus me, ab incunabilis quodammodo affecisti, beneficia. Regia soboles emicas a Ioanne Primo Portugalliæ Rege, sed & orbis imperio

rio dignissimo, serie virili, per Alfonsum, eodem, quo Philippus noster Quartus, humani generis deliciæ, gradu. Si proprius nostrum seculum respicis, proprius nostrum Iouem attingis. Abauum ille Emmanuelem Regem Lusitanum à quo defluxit ius imperij Lusitani, præfert; sororis Regis Emmanuelis Isabellæ Infantis probissimæ, cuius notitia, non semel, in meo cholobulemanactio, eodē sanguinis nexu, tu abnepos ex legitimâ prole censeris. Adhuc, ex hac stirpe, Germanos Imperatores. Serenissimos Austriæ Principes, belli fulmina, Maximilianos, Rodulphos; Hernestos, Matthias, Albertos, quos, inter maiores, à proauiâ Isabellâ Emmanuelis filiâ, Imperatoris Caroli Quinti potentissimi vxore, recenset noster Philippus, eodem vinculo tibi nectis. Parùm nō hæc generis claritudo? Multum equidem, sed & plura in tuâ familiâ stemmata. Nullus est in Galliâ, aut Latio princeps, cum quo tibi nō intercedat, tertio, aut quarto propinquitatis ordine, arcta sanguinis necessitudo.

do. Id tibi parauit felicissimum illud cõnubiale vinculum, quo copulata Infans Beatrix, Regis Emmanuelis proles, cum Carolo Principe Pedemontano, Subaudiæ Duce, omnium quos Gallia modo, & Italia respicit, regio præfulgentes nomine, proauo, aut si multum distat, abauo. Parmensium splendidissimam familiam, auiæ Eugeniæ, parentis tui Constantini, matris, ex sorore nata, Mariæ, Eduardi Infantis, & Isabellæ filia, sussis facibus, in torum Alexandri Farnesij Principis Parmensis, Placentini Ducis, omnium, quos, & vetus, & nostra ætas aspexit, res feliciter, & animosè gestas exsuperantis, admissa, tibi ex propinquiori conciliat. Quid multa? Vno verbo dicam, nullus in Europa, è Regia stirpe, in quem regius, qui in te, sanguis non defluxerit, & virtutum omnium, quibus nituerit, ornamentum communicauerit. Maxima ex hac felicitate encomia: Verùm non hisce perstricti te veremur, & colimus.

Ergo vt miremur te, non tua, primùm aliquid da,
Quod possim titulis incidere, præter honores,
Quos illis damus, & dedimus, quibus omnia debes.

Maiora in te splendent cultus argumenta, *seu pacem, seu bella geras.* Quæ ingenij perspicacia in pueritiâ, in adolescentiâ quæ integritas, quæ prudentia in iuuentute? Vix nuces posueras, & septem artes liberales apprime callebas. Nocet alijs venustas in ætatis flore; nulli Lusitanorum ea quæ tibi contigit, sed & nullũ senectus cana æquè tutauit. Testis vtriusque muneris adsum oculatus, & vix tantum decus in mortali repertum, mẽte assequor. Adoleuisti, sed eâdem ad illecebras coercẽdas constãtiâ. AEneusne es an adamantinus? Adamantinus totus, & aureus, *satis est potuisse videre;* Regij thesauri non manu carpti, luminibus eminus vsurpati voluptates instillãt. Iuuenis iam, non, vt cæteri, pronus in delicias & otio deditus, imò.

Virtutis vera custos, rigidusq; satelles.

Nullum est animi ornamentũ, vix Stoicis concessum, vt delinearent, in persona-

natis sapientibus, quo tu non effulgeas verus sapiens. Et in bellica quam Martius impetus? Anno à salute 1616. in Turdetanos, ad primam Turcicæ classis famam, quâ flammâ, perfidos Christi hostes confodiendi, aduolasti, me & altero contentus clientulo? Proximè præterito anno 1625. in Bæticam, nondum Angli descenderant, iàm ascenderas equum profecturus. Et conceptus, ex tuo aduentu, vtrorumq; hostium *pedibus timor addidit alas.* Cùm ad castra peruenisti, diffugerant pauidi, & meticulosi. Dignas profectò totâ, quam tibi sacro, inscriptione, ad regij tui stemmatis eiicū serpentem; appellã S. A. R. L. *Stemma Augustum Regum Lusitaniæ.* Et vtroq; te Palladis numine; quod addo ad stemma, bellatricis, & bonarum artium præsidis. Nam vnus paci bonus, vtilis armis in toto terrarum ambitu, de Rep. bene mereris. Post hæc, pudet inserere, quæ in me contulisti, à primâ ætate, beneficia. Nec enim à tanto fulgore, quid nisi magnum emitti potuit. Conimbricensi-

bus Musis, & Salmanticensibus vacanté fouisti; sæpe beasti familiari alloquio; munificus, vt Salmāticensis Doctor scriberer, vt sacerdotij munus obirē, solicitus, aureorum, & curarum præstitisti impensas. Quid singula?

Mearum

Grandedecus, columenque rerum.

Quicquid sum, *Totum muneris hoc tui est;*

Quod spiro, & placeo, si placeo tuum est.

Regi quis ciuis, quis clien s patrono, parenti ne vllus filius, his beneficiorum nexibus obstrictus? Impar tot soluendis, eorum tamen memor, si nō pro dignitate operis, pro tuâ humanitate, precor, nugas hasce, in gratiarū partem accipias. Vale, fruêre, augêre.

or

D. Franiscus Homo Abrau.

CEN-

CENSVRA:

PER MAGISTRVM F. *Franciscum Arausium Primarium, in Salmanticensi Athenæo, Theologiæ Doctorem.*

DEcernente supremo Salmanticensium Doctorum senatu, atq; etiam D. Paschale Saldagnâ, ab Illustrissimo D.D. Antonio Corrionero Antistite, designato Prouisore mandante, legi, & perpendi Cholobnilemana ction, à Francisco Homine Abræo Primario humaniorum Doctore, lucubratum. Elegans, concinnum, limatum iudico opusculum; orthodoxæ fidei cõsonum, à morum integritate nullibi deuium, historiæ, & antiquitatum rimatoribus vtilissimum lubens approbo. Fernãdi Secundi, Brigantini Ducis fidem, & integritatem illibatam, de quâ, in parte secundâ allegoriæ, plurimus sermo, incolumi Ioannis Secundi optimi Princi-

A pis

pis Portugalliæ maiestate, vt credam, rhetoricis coloribus, qui passim vernãt, & maximi pendendo rationum pondere, capior, suspicio, suadeo, imò piaculũ duxerim, si quis hisce pensis, in oppositam sententiam suffragator accedat. Parem Fernandi, ob huius historiographi verã diuitem, arbitror fortunam, Achillis, Homero encomiaste, noti, & Alexandri, famâ commendante, felicitati. Neque enim comptus Abræi nostri stilus illi cedit, nec hac imbecillior, vt immortalitate donet ingenij labores. Ergo luce, & prælo digna lucubratio, vt prodeat, facultatem liberè concedo. Salmanticæ, in Cœnobio nostro, Diuo Stephano sacro. 7. Idus Augusti, anni 1628.

M. F. Franciscus Araujus.

APRO-

APPROBATIO OPERIS.

PER MAGISTRUM BLASIUM Lupium, in Primariâ humaniorum Cathedrâ, apud Salmanticenses, emeritum.

CURIAE Sophorũ, in Academiâ, iussu, dissertationem, seu Cholobulemanaction incomparabilis viri Magistri Francisci Hominis Abræi legi, per legi, inspexi, suspexi. Opus sane egregium, in quo ingenij, doctrinæque velis feliciter vectus est; argumento, stilo, oratione admirabile; tanto doctore, & auctore, necnõ typis dignissimum; nihilque in eo, à Christianâ religione alienum. Salmanticæ, in Mineruio, sexto Idus Sextiles. Ann. salutis 1628.

M. Blasius Lupius.

LICENCIA DEL Claustro.

YO Antonio Ruano de Medrano, Familiar del Santo Officio, Secretario de la muy insigne Vniuersidad de Salamanca, doy fee, i testimonio verdadero, que en el Claustro pleno, que se congregò a los treze de Nouiembre de 1618. salieron los nueuos estatutos confirmados por su Mageſtad; su tenor del estatuto 43. es desta manera.

Estatuymos, que de aqui adelante, los Cathedraticos de propriedad, para cumplir con lo dispuesto, por los estatutos desta Vniuersidad, si quisieren dar sus repeticiones impressas, en todas facultades, lo puedan hazer, en virtud de la licẽcia, que por este estatuto les damos, con censura del Ordinario, i licencia del Claustro, sin que por ello incurran en las penas impuestas por leyes, i prematicas destos Reynos, tocantes a las impressiones. I en execucion, i cumplimiẽ-

to

to de los estatutos, que en esto hablan.

Otrosi, doy fee, que en el Claustro de Diputados, que se congregò a 15. dias del mes de Iunio de 1628. el Maestro Francisco Home de Abreu, dixo que su merced quiere imprimir la Repeticion de su Cathedra de Prima de Latinidad deste año. Pidio licencia para ello, i se nombren personas que la vean. La Vniuersidad nombrò para ver la dicha Repeticion, i dar la cẽsura della, à los Maestros fray Francisco de Araujo, i Maestro Blas Lopez, para lo que se les diò comission en forma. Segun que todo lo susodicho consta de los dichos estatutos, i registros de Claustros, a que me refiero. I de pedimiento del dicho Maestro Frãcisco Home de Abreu, hize la presente, en Salamanca, a nueue dias de Agosto de 628.

Antonio Ruano de Medrano.


LICENCIA DEL Ordinario.

EL Licenciado Saldaña Prouisor, en la Ciudad, i Obispado de Salamaca, por su Señoria Don Antonio Corrionero, Obispo del dicho Obispado, del Consejo del Rey nuestro Señor, por la presente damos licencia à qualquier Impressor, para q̃ pueda imprimir la repeticiõ inticulada, Cholobulemanactiõ, compuesta por el Maestro Fräcisco Home de Abreu, Cathedratico de Prima de Latinidad, en esta Uniuersidad, attento està vista, i examinada, i no contiene cosa cõtra la Fè. Dada en Salamanca a 8. de Agosto de 1628.

Licenciado Saldaña.

Por Luys Perez.

Anacleto del Enzina.



CHOLOBVLEMANACTION.

DISSERTATIO,

EX PRAESCRIPTO SALMANTICENSIS SCHOLAE:

Habita à Francisco Homine Abræo, Doctore Primario, humanarum litterarum.

Prid. Non. Maias. Ann. N. S. 1628.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Ex lib. 1. Epist. Horat. vers. 14. Epist. 2.

LEGES nostræ scholæ sequutus, optimi auditores, Horatianas Epistolas, hoc anno enucleandas suscepi, vt qui, anteacto, ad matutinas lucubrationes, mihi anno, Sermonum libros sum commentatus, tertio hoc

ſpatio ſolari,ob numerũ,interpreti feliciſsimo quicquid hexametri reperitur, in Venuſino delibarem. Eſt in more, vt calletis, ſemel vobis, luculentiores quaſdam diſſertatiunculas, pro annuo labore, reponere. Hic, ad dicendum, vernus dies,hæc diſcutienda ſententia,maximè placuit:

Quicquid delirant reges,plectuntur Achiui.

Ne verò arcana,patulo ipſo in limine,ſine lumine propè effutire videar,ambages,& quæſtiunculas in aptiorem locum differam, quæ plana ſunt,& in triuio,non Apollini,ſed vobis ingenui adoleſcentes,inculcabo.

CAPVT I.

Sententiæ argumentum, ex ipſâ ſatyræ materiâ.

EPISTOLAE argumentum patet, ex ſexcentis interpretantium notis; laconicè id Antiſtes Læuinus Torrentius, ex Lipſij cohorte,vt eruditiſsimum,vno verbo dicam, peregit: *Homerum optimè philoſophatum docet, ex poſitione argumentorum vtriuſque operis, cui ad vitam degendam, vtiliſsima præcepta ſubijcit.* Nã de honeſto,& vtili,honeſtè, & vtiliſsimè, vtroque

que

que poemate differit; primo, vitanda, in communi vitâ tædia; secundo, in sapientiâ, quærenda ornamenta explicat. Ab Homero, addit Lambinus Monstroliensis, *Iliade quidem, quales sint, in stultis regibus, & populis, animi motus, describi; in Odyssea autem, Vlissis exemplo, quid virtus, & sapientia possint, ostendi*. Hæc laus insignis poeseos Homeri, in quâ plura, ad mores, inter carminum delicias, quam in maximis de virtute, voluminibus, à Chrysipo, & Crantore editis. *Longe namque*, arguit Cruquius Messenius, *prefert eam philosophicis assertionibus, definitionibusque vtpote* λόγοις θεωρητοῖς. Hinc liquet sententiæ proferendæ, vnde sumpta ansa, ab excandescentiâ videlicet, & tumore principum, qui in Troiæ oppugnatione reperti, è quorum pertinaciâ, innumera, in militares Græcorum copias, incommoda deriuata sunt.

CAPVT II.

Germanus loci sensus.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Ad Iliados opus, spectat sententia. Nec omnes

eo in poemate, reges adductos cauillatur. Cum Agamemnone, & Achille res est, vtroque rege, Thessaliæ hoc, illo Mycenatum. Delirare hosce viros, armis inclytos, & natalibus, non temerè canit poeta, cum ab irâ simul raptos, & amoris alterum nexibus irretitum fateatur,

Hunc amor, ira quidem communiter vrit vtrūque.

Nam á rectâ mentis ratione, ex nostris theosophis longe aberrare (quod verbum *deliro*, metaphoricè sonat, translatum ab aratorio munere, lira enim, apud priscos, fossa recta erat, inde delirare, extra sulcū declinare, propriè significat) ille est dicendus, qui sæuientis animi, aut in amores procliuis furori, supernas vires, voluntatem, & rationem, iniquè quidem, & proteruè, contēnendas, & terendas exponit, subijcit, detegit.

Quid amoris, & irarum hic latet? Amor flammas suas in iram vertit. Latè de illius caussa expositores in 4. Od. lib. 2.

——— ——— Prius insolentem
Serua Bryseis, niueo colore
Mouit Achillem.

Quales illecebras epistolares, apud Ouid. ad Achillem, ab Agamemnone, in consuetudinem adducta, effundit? Sed & quó, à tanto viro, amoris ardore solicitata, vt & Patrocli delicias, cum

eâ

eâ communicaret, Mart. libro 11. Epigr. 44.

Bryseis multum quamuis auersa iaceret,
Æacidæ propior leuis amicus erat.

Puellæ nomen,& patriam quæris? Hippodamia est dicta, à patre Bryse Bryseis cognomen patronomicũ accepit. Lyrnessi nata est. Eâ vrbe, à Græcis, in Troianum bellum tendentibus,captâ, Achilli victori, in sortem cessit, Paullò post Agamemnon,Astynome,Chrysæ Apollinis Sacerdotis filiâ,quam & ipse,Thebis Cilicijs expugnatis,prædæ nomine, in torum asciuerat,vt aстralues pro scelere vindicando, in castra grassari cæpta, cessaret, parenti restitutâ, ne Venereo pignore ad vrbem Veneri obsequẽtem careret, in tabernaculum,Bryseida ab Achillis sinu ereptam adduci iussit.Hac iniuriâ percitus Achilles, puellæque amore, non leuiter incitatus, ab excursionibus abstinuit, ad Patrocli ruinam; quo dissidij spatio, passim Græcorum agmina,à Troianis sternebantur. Igitur Agamemnone, contra fas,Achillem,prædâ Lyrnessâ spoliãte;Achille verò,ea de caussâ à bello cessante;vtroq; in alterũ sæuiente,& cõtra publica cõmoda delirãte, miseri homũciones, Græci omnes(per synecdochẽ,Achiui,tanquã Achaici,ab Achaiâ celeberrimâ Græciæ prouinciâ) qui eorũ ingenuitate,&

virtute fisi, ad Troianam expugnationem vela fecerant, citra crimen, aut vllius labis suspicionẽ, puniebantur. Ita explicandum verbum, *plectuntur*, premuntur, flectuntur miserrimè, cadunt ignominiosè. E nostro liquet, ad Od. 28. lib. 1.

——— Venusinæ
Plectantur siluæ.

Satyr. 7. lib. 2. *Tergo plector enim.*

CAPVT III.

Nomen, Rex, explicatur.

A Regendo, quicunque imperij ius tenet, rex solet appellari. Passim apud poetas, pro homine sui iuris, aut domus, vel clientelæ rectore, necnon potentioriamico, ex mente eruditissimi viri consularis, Laurentij Ramirez, ad epig. 18. lib. 2. Mart. Horatius saty. 3. lib. 3. lib. 1.

——————— Si diues, qui sapiens est,
Et sutor bonus, & solus formosus, & est rex.
Et paullò infra.
——————— Alfenus vafer omni
Abiecto instrumento, clausâq; tabernâ
Sutor erat. Sapiens operis sic optimus omnis
Est

Est opifex solus, sic rex:

Satyr. 3. lib. 2.

——— ———*Diuina humanaq; pulchris*
Diuitijs parent, quas qui construxerit, ille
Clarius erit, fortis, iustus, sapiens etiam rex.

Epist. 1. lib. 1.

——— ——— *At pueri ludentes, rex eris, aiunt*
Si rectè facies ——— ———

Eodem lib. epist. 7. ad Mæcenatem.

Sæpè verecundum laudasti, rexque, paterque,
Audisti coràm ——— ——— ———

Mart. lib. 1. Epig. 113.

Cum te non nossem, dominum, regemq; vocabam.

Lib. 2. Epig. 18.

Esse sat est seruum, iam nolo vicarius esse,
Qui rex est, regem, Maximè non habeat.

Lib. 3. Epig. 7.

Regis superbi sportulæ recesserunt.

Lib. 5. Epig. 20.

Luxuria est, tumidiq; vocant hæc munera reges.

Et Epig. 23.

Rex, nisi dormieris, non potes esse meus.

Senec. in Hercule f rente 1. choro.

Ille super hos aditus regum,
Durasq; fores, expers somni
Colit.

Adde poetis, poetam, soluto stilo, Columellam, in præfat. lib. 1. de re rusticâ: *An honestius duxerim, mercenarij salutatoris aucupium, circumuolitantis limina potentiorum, somnumq́ regis sui, rumoribus inaugurantis?*

CAPVT IIII.

Munus principum describitur.

HINC quale sit regi munus susceptum, elucet. Non equidem visceratio, extortio, depublitio ciuium; tutela potius, cura, solatium. Senec. 1. de Clement c. 18. *Quorum tibi non tradita seruitus, sed custodia.* Cane cum lemmatographo Amphith. 3.

Impensis, vitam, principis annumeres.

Si ciuis es regi, si rex ille suo ciui. Onus magis, quàm honor; ornamentum Reip, non detrimentum, regnare est. Hinc ortum habuit pricipatus; & decidet, si in alios mores declinarit. Iustinus: *Principio rerum; gentium, nationumq́ imperium penes reges erat, quos ad fastigium huius maiestatis, non ambitio popularis, sed spectata, inter bonos, moderatio prouehebat.* A domestico moderamine, in publicum, sibi gradum probi viri

para-

parabant, vnicâ virtute nixi, & prudentiâ. Seneca 1. de Clem. cap. 14 *Hoc quod parenti, etiam principi faciendum est, quē apellauimus patrem patriæ, non adulatione vanâ adducti*. Inde tyranni dicti. Trogus, à quo, hausit morem veterem Iustinus: *Qui etiam tyranni, ob fortitudinem, dicebātur*. Allusit Virg. 7. Æneid.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse tyranni.

Paullatim in tædium, & odium, *tyrannus*, nomē. Effecitque dominantium elate, assi duitate regnandi, vitium, vt tumidum, & effrænem monarcham, queruli tyrannum dicerent. Noster lib. 3. Od. 3.

Non vultus instantis tyranni,

Ouuid. 1. Met. ——— *Et in hospita tecta tyranni Ingredior,*

Et tyrannis, immanitas, ac sæuitia putaretur. Iuuenal Satyr. 8.

Quid Nero, tam sæuâ, crudâque tyrannide fecit?

Hæc sentiendi ratio, nonnullos ita exagitauit, vt longè diuersum, *tyrannus*, nomen à voce, *rex*, autumenc. Pie sane, sed parum eruditè. Ita ex eorum sententiâ Diuus in aligerum cœtu, ob integritatem, & ingenij lumen, locum sortitus, vtrumque interpretari, optimum duxit, cū post enumeratos quatuor illos potissimos regiminis

gradus, Monarchiam, Aristocratiã, Oligarchiã, Democratiam, addit. 1. 2. q. 95, art. 4. in corpor. *Aliud autem est tyrannicum, quod est omninò corruptum. Vnde ex hoc non sumitur aliqua lex.*

Nec minus inuidiosum, inter Romanos, regis nomen, quàm apud Græcos, & exteras nationes, tyranni, post Tarquinæ gentis exilium. Sic interpretare Mart. Spect. Epig. 2.

Inuidiosa feri radiabant atria regis.

Nec quid, si vocem rimeris, distat rex à tyranno; vsus diuersos significatus hisce nominibus imposuit. Senec, 1. de Clem. cap. 11. *Quid interest inter tyrannum, & reges? Species enim ipsa fortunæ, ac licentia par est, nisi quod tyranni, ex voluptate sæuiũt, reges, non nisi ex caussâ, ac necessitate.*

Non ergo satis honorem supremi magistratus, humanè, & serenè inire. In virtute decet proficere, & perseuerare. Quam scitè Lipsius, 2. Polit. cap. 3. principatum definit: *Vnius imperium, moribus, aut legibus declaratum, susceptum, gestum que parentium bono.* Infra cap. 5. latè explicat adiectiuum, *gestum.* Nam, *sunt*, ait, *qui suscipiant recte, non gerant, & finiant. Ego autem palmam hanc, in mediâ, non in carceribus figo.* Rarò tamen id accidit, vt optimi ad regnum asciti, optimi exerceant, & discedant.

Mitis-

——————*Mitissima sors est*
Regnorum, sub rege nouo.

Lucan. occinit lib. 8. *Suo vero nè, an seruitij ingenio,* addit Tacitus 12. Annal. *dum adipiscuntur dominationes, multâ charitate sunt; & maiore odiô, postquam adepti.* Quam lepide hoc, ad illepidam querimoniam, illud Mart. lib. 9. Epigram. 50.

Quid non longa dies, quid non consumitis anni?

Nam regni natura hoc fert, *vt diuturnitate,* Sallustianum est in Catil. *in superbiam mutent.* Sed proh dolor! heu mortalium ærumnosum æuum! Non solùm ipsis regibus vitium nocet, dum ipsius vmbrâ, & caligine septi, satyricas illas Iuuenalis pœnas luunt, deficiente, qui ad vultum instantis tyranni, sæuè corpus dilaniet, carnifice. Ex Satyr. 13.

——————*Cur tamen hos tu*
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente, animo, tortore flagellum?
Pœna autem vehemens, ac multò seuior illis,
Quas, & Cæditius grauis inuenit, aut Rhadamātus,
Nocte, dieq; suum gestare in pectore testem.

Officit ciuibus præsertim, in quos nigræ succus loliginis, ærugo mera seruilis, nō regia, funditur;

cis

eisque & sceleris commercium, & pœnæ integræ dedecus importat. Ad rem Tullius, in Epist. *Quales, in Rep. principes sunt, tales reliquos solere esse cives.* Claudiani vulgare illud, sed peculiare, & familiare huic loco in 5. Consul Honorij.

———Componitur orbis,
Regis ad exemplum.

Martial lib. 9. Epig. 81.

Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores, Cæsarianus habet.

Sidonius Epist. 9. lib. 4. *Seruat illæsam, domino domus par, pudicitiam.* Arnobius, ad Psal. 130. *Vsitata vulgò sententia est, quæ dicit: iuxta mores domini, familiam constitutam.* Id Plinio, in mentem venit, cùm in paneg. protulit: *Nec tam imperio, nobis opus, quàm exemplo.* Nã efficacius vrget, quàm leges. Tacitus, 3. Annal. *Obsequium, in principem, & æmulandi amor, validiora, quàm pœna ex legibus.* Sed & illud ipsum, tacita quædã lex est, quoniam iuxta Quintil. Declamat. 4. *Hæc conditio principum, vt quicquid faciant, præcipere videantur.* Quam aptè Velleius lib. 2. *Rectè faciere, princeps, ciues suos, faciendo docet.* Idem Senec. in Thyest.

Rex velit honesta, nemo non eadem volet.

Quid ergò monstri felicissimâ in Rep. erit, in pe-

ius

ius ruente principe, cuius munus est, ad sublimiora statum illum tranquillum euehere? Nil non inuersum, & infaustum. Etsi enim ciues, in vtroque reges æmulari studeant, facilior tamen, quæ lubrica via est, ad præcipitium. Conniuente principe, quid dicam, annuente, ad leuiora quædam crimina, totum sordibus Reip. corpus scatet. Pindari, ad Hieronem Siciliæ Regem, aurea dicta sunt, ex Lipsiana versione.

Ne omitte honesta, guberna
Iusto clauo populum;
Veracemque ad incudem
Fabrica linguam.
Si enim, vel leue eruperit,
Magnum fatetur
Abs te. Multorum dispensator
Es; multi testes, verisque fidi.

Vix princeps ad praua detorquet animum, cùm vniuersa ciuitas, in vitia iam labitur, & præceps fertur. Cic. 3. de legib. *Vitia non solùm ipsi principes concipiunt, sed etiam in ciuitatem infundunt, plusq; exemplo, quàm peccato nocent*, Paucis hoc, illud omnibus in ruinam. *Vnius inuidiâ*, Taciti est, 3. Annal. Lipsius, *& culpâ*, addit. 2. Polit. cap. 9. *ab omnibus peccatur.*

Hi labores, hi sudores, in regni administratione;

tione; in angusto viuere, vt Augustus audiat Imperator. Ergo onus, nō honor. Senec. Epist. 91. *Officium est imperare, non regnum.* Falluntur specie recti, imò errant, à recto iam pridem alieni, qui imperium, ob splendorem quæritant, & delicias. Nihil ibi ad voluptatem, & ornamentum, si cum labore conferas, & curis. Oportet, tuï oblitus, ciuibus indulgeas. Panegyristes panegyricè: *Neque enim specie tenus, ac nomine, fortuna imperij consideranda est.* Quid enim? *Sunt* fateor, cum meo Doctore Lipsio, lib. 2. de exemplis politicis, cap. 7. *Trabeæ, & fasces, & stipatio, & fulgor, & quicquid aliud hunc dignitati adstruximus. Sed longe maiora sunt, quæ vicissim, nobis auctoribus, fautoribusque potentiæ debent.* Quæ verò hæc grauamina? *Admittere in animum, totius Resp. curam, & populi fata suscipere, & oblitum quodam modo sui, gentibus viuere; accipere innumerabiles vndique nuntios, totidem mandata dimittere; de tot vrbibus, nationibus, & prouincijs, cogitare; noctes omnes, diesq́; perpeti solicitudine, pro salute omnium cruciari.* Non otium regum vita, sed negotium, non peculiare imperantium, sed totius Reip.

Iam patet vitro splendidior Horatianæ sententiæ sensus. Illos ciues, sub rege, in vrbe, illos mili-

ilites, sub imperatore, in castris, miserrimos ap
ellitat, qui dominantium sceleribus infecti, &
rpiter viuunt, & sæuè puniuntur. Mores inde-
ros, à regiâ licentiâ, facile aulici imbibunt, vt
miles reddantur; supplicia verò, eò duriora ciui
s, quo ab ijs tutiores principes regia maiestas
cæstat.

CAPVT V.

Ad sensum allegoricum, ex historiâ firmandum, via sternitur.

AB Agamemnone, & Achille, ad nostri, aut parentum æui principes, orationem flectamus.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Quæ lues, quæ ærumnæ, quæ calamitates aliæ, in nostram Europam grassantur, nisi principum tupori, & nequitiæ stricti gladij? Lacrymas, à obis aurei adolescentes, exigere erat animus, vt æc nostri sæculi rabies mitesceret. Sed nec ruor, plenis fluentis dimanans, sordes absterge e, aut piacula subministrare satis. Vbi illa priscis cra, ac venerabilis pietas? Quó secessit orthodo

xæ religionis, & veræ fidei integritas illibata? Pudor ille roseus, & virilis, in illecebras, ac voluptates constantia, in quam extremi littoris orā, fugam arripuit? Hæccine de flenda, assiduo luctu existimatis? Vitæ-ne, & opibus; animi, & prudentiæ ornamenta præferenda censetis? Maius dedecus nostris hominibus, ex hac improbitatis colluuie, quàm ex ipsius imperij ruinā, minari attestamini? Regum delirationes, huic infelicitati Europam penitùs prostituere.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Qui reges? potentissimi. Cuius tractus? Galliæ, & Lusitaniæ. Cedo nomina? pudet heu, pudet fati. Dicam tamen, ne vana terriculamenta machinatum arbitremini. Gallus Philippus Pulcher? Lusitanus Ioannes Secundus. Pulchritudo illa, Gallia, istius viuacis gratiæ nomen, Lusitania, vestras opes, famam, ornamenta publica, pristinam maiestatem, æternam gloriam contudit, euertit, labefactauit. Vterque suis commodis indulsit, vterque ciuium tranquillitatem funditus prostrauit. Alterum auaritiæ pabulum ira præstans, in scelus; alterum in scelus, iræ flammas congerens libido coniecit.

Hunc amor, ira quidem communiter vrit vtrunq.

Tragico cothurno, in tragicas hasce dissertatiun-

culas

las erat opus. Pedestrem stilum meũ cognos-
. Nec tamen desisto. Operæpretium erit, si
otuero, oratorijs virtutibus, hunc næuum con
corare. Fidei sacrosanctæ integritatem, apud
allos deperijsse, hæresum in dies indagatori-
s emergentibus; inter Lusitanos, Iudaicâ ra-
e, magis, ac magis, nostro hoc infausto lustro;
uiente, splendore pristino, omnino destitui;
: Philippi, & Ioannis delirationibus, palam fa
re conabor.

CAPVT VI.

Ad Gallos stilus vertitur.

GALLVS prior, in theatrum egredia-
tur. Huius mores, & maiores, ne morã
faciam, in re tàm notâ, silentio præte-
o. Sordidum hominem nemo inficiatur; eq;
pũ sitis, patrati criminis caussa potior. Regia di
itate, etsi in cæteris vitæ partibus præstantissi-
us, munia regia obiret, eo nomine deturban-
us, Lyricus Horatius philosophiæ, lib. 2. Od. 2.

Redditum, Cyrisolio, Phraaten
Dissidens plebi, numero beatorum
Eximit virtus, populumq; falsis

Dedocet vti
Vocibus; regum, & diadema tutum
Deferens vni, propriamq; laurum,
Quisquis ingentes, oculo irretorto,
Spectat aceruos.

A regio fastigio, vnica pecuniæ cupiditas, probissimum quemq; imperatorem euertit. In eo collocat, ad cætera propè mancum, munificentia. Qui næuus, in illo Vespatiano, à quo incertum diu, & quasi vagum imperium, susceptum est, ac firmatum? Tot animi dotes, principisq; egregia ornamenta, auaritia infecit. Sueton. in Vesp. cap. 6. *Sola est, in quâ meritò culpetur, pecuniæ cupiditas. Non enim contentus, omissa, sub Galbâ, vectigalia reuocasse; noua, & grauia addidisse; auxisse tributa prouincijs; nonnullis & duplicasse; negotiationes quoq; vel priuato pudendas, propalàm exercuit, coemendo quædam, tantum vt pluris posteà distraheret.* In quas sordes splendidissimus imperator se deiecit. Nugæ sunt, & tricæ, an fabellæ aniles? Vera trado, ne stupeatis. Ita conspurcat animum, ex Horatij sentētiâ Epist. 18. lib. 1.

Quem tenet, argenti sitis importuna, famesq;

Liberalitate, & regiâ munificentiâ, imperatorius animus elucet; nec aliâ virtute, arctioris pignora amoris

noris promeretur: Mart. lib. 1. Epig. 25.

Nulla ducis virtus, dulcior esse potest.

Iam si omnium, in se, affectus conciliare, ad re-
rem attinet, quo alio allice vtetur? *Liberalitate*
ubi. Ait Cicer. 1. offic. *Nihil est naturæ hominũ*
commodatius. Lipsius addit 2. Polit. cap. 17.
regum in primis, quos, *armis*, ex mente Sallus-
ij, in Iugurt. *quã munificentia vinci minus flagi-*
osum est. En qualis Pulcher Philippus, quo
rectore, iuxta illud Horatianum serm. 3. lib. 2.

———*Diuina humanaq; pulchris*

Diuitijs parent.

arum se diuitem, maiorum gazâ, regumq; per
ot sæcula, Galliæ moderatorum supellectile,
it arbitratus; vt Templariorũ opes caperet, in-
ntes capere non erubuit. Res vt pateat, altius
repetenda historia, ne illorum occasus importu
è referre videamur, quorum ortus, inerti silẽ-
o præterimus. Aures præstate aureas, dum
eterrima nonnulla, & caligine inscitiæ, aut obli
ionis septa, in lucem profero, & diurnum hũc
plendorem.

CAPVT VII.

Templariorum origo panditur.

Cum Virgilio 7. AEneid. auspicemur,

Pandite nunc Helicona Deæ, cantusq; monete;
Et meministis enim Diuæ, & memorare potestis.
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.

Variè varij historiographi, de Tēplariorum initijs, notitiam tradunt. Placet, in re adeò controuersâ, quid ipsi senserint, recensere. Viciana, lib. 3. Chron. Anno 1100. à Christo nato, militarē hunc cætum institutum asserit. Chassaneus, vná & Polidorus Virg. à partu Virginis, Ann. 1117. Paschalis 2. à pontificatu 18. Imperatoris Henrici Quinti, 11. initia Templariorum agnoscūt. Annum insequentem, huic rei assignant Martinus Polonus, Antistes Consentinus, & Pontacus. Panuinius, ad 1119. Templarios notos retorquet. D. Antoninus, alterum addit, qui in Pont. Calixti, 2. annum secundum, Henrici verò Imperatoris 14. incicit. Volateranus annum 1123. faustum, huius cætus exordio testatur. D. vero Antoninus, ne in hisce computationibus, herbam porrigat præeuntibus, alio in loco, annū vlterius cōcedit. Exuperat tamen Tilius, in supplemēto Paulli Æmilij, qui cœpisse Templarios anno 1128. differit. In re ancipiti, *Non sum diuinus, sed scio quid faciā.* Odorari licet coet⁹, Tēplariorū repertores, anno 1100. pro instituendâ militari hac curiâ, solicitè conatus suos adhibuisse; id

d, ad optatum, maiori famâ, & principum aucto itate, anno 1128. perductum. Primi tantæ co-nortis auctores duo censentur, Hugo de Paga-nis, & Gautfredus de sancto Alexandro. His, & nonnullis alijs, eandem vitæ rationem ineunti-bus, Balduynus secundus Hierosolymæ Rex, in regiâ penes templum sacrosanctum (vnde Templariorum nomen inditum) domicilia largitus. Patriarcha Hierosolymitanus, hominum, natalibus, clarissimorum industriâ, & virtute delinitus, plurimas, è Christi seruatoris, & Diuorum hominum thesauro, ad mentis lustrationem, opes seruatas, liberali manu, ijs concessit; eâ conditione, vt, quod spontè iam pridem cœperant, pro dignitate, in sacrâ, apud Hierosolymæ accolas, nostræ salutis monumenta, festinantes vndique mortales, per itineris solitudines, tuerentur. Integro nouem annorum spatio, hic fœtus, in vtero velut maturescens, delituit, nullo orthodoxæ militiæ nomine, aut ornamentis insignis.

Sub idem tempus, Tricassinum Concilium, in Galliâ, est habitum, Antistite Albanensi, à Pont. Honorio 2. misso legato, præside. Hoc in Concilio, Honorij nutu, & iussu (ex Guillelmi Tyrij sententiâ) militia Templariorum, inter sacros cœtus, nomen meruit; & vt felici auspi-

cioque in lucem edi videretur, candidi pallij in- signi est condecorata. Eugenius 3. Pont. crea- tus anno. 1145. vel vt alij opinantur, Anasta- sius 4. octo post annis, in pallio crucis purpu- reæ ornamentum ferre concessit. De pallij colo re, & crucis insigni, nulla est inter peritiores historiographos discordia. Vna eademq; circa hæc sententia Bocatij, Volaterrani, Moguntini atq; Sabellici fertur. Iucundissimum omnibus, humani generis vindicis conditorium, cœtera- q; nostræ salutis argumenta inuisentibus, tem- plariorum agmen & omen censebatur. Tuti & Læti, extra lares, eorum auxilio, & ductu, vas- tas illas Palestinæ solitudines ex operabant. Vt quę grati animi signa darent, beneficijs, & offi cijs, homines ignotos fronte, & linguâ, moribus & virtute familiarissimos prosequi sunt conati. Quid noui, aut miri, si diuitias ijs viris largiebā- tur, à quibus, etsi non opes, à Penelopes auari- tiâ, condonatas viscerum nomenclaturâ accep- tas fateri poterant, fluidi tamèn cruoris riuulos, quod multo præstantius est, pro cuiuslibet ho- muncionis tutelâ fusos aspexerant. Certatim & in vitâ memores, aurum gemmasque missitabāt, & in extremâ vitæ periodo constituti, facultates amplissimas, prædia, vicos, annuos prouētus, pro

Tem-

emplariorum sumptibus, vltimis in tabulis
gabant. His neruis corpus illud solidum, & sta-
le breui spatio, vires, & robur accepit, quo &
tueri facilè, & potentiorum inuidiam conci-
e potuit. Tandem bonam inter, & malam
nam (vtriquè enim materiam vberrimam di-
iæ præstare solent) optimis grati, inuidis
pecti, inermibus amici, tumentibus aduersa
sæculum vnū, & alterum peregêre. Templa-
rū nimia illa fęlicitas, oneri iam, atquè curę,
ropæ principibus esse cæperat; & licet sibi
dulcentes, potentiamquè inclytæ militiæ for-
dantes, æquo animo, eos pati palàm videren
; clam insidias meditari, dolos, & fraudes
liri non cessabant. Nec diu odij venenum, in
gusto hominum pectore, latere valuit. Erupit
concepta lues. *Inter spem, curamq; timores*
r, & iram Philippus Pulcher primus, ille ad
ntem Horatij, lib. 1. Epist. 16.
bonus, omne forū quē spectat, & omne tribunal,
, & familiæ oblitus, deploràtus enim illius, &
uliaribus moribus, censorium animum in-
:, Damasippi Horatiani, ex Serm. 3. lib. 2.
odalis.

——— *Aliena negotia curo,*
Excussus proprijs.

B 4 Igitur

Igitur, vt integritate, & sanctimonia eximia, se pollere ostenderet, ac si nocte ipse Decembrica, cæteri verna luce peccarent, à Diuis effigiatam hanc ex Epist. suo cit. probitatem precatus:

——— Da iustum, sanctumq́, videri,

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem,

Templarios aggreditur, minarum, & excandescentiæ mille Nilos vomens. Clementem ergò suum, verius, si priores litterulas cōfundas in delta (liceat modò Bertrandi filium, in quem calumnia, à Pont. quem veneror, suspicio, colo, disiungere) ad mores Galli, nescio, ex fato, an formidine factum, qui ipsammet Romanam curiā, orbis splendorem, tenebrioni regi in Galliâ subijcere non existimauit indecorum, hoc habitu, pede veloci, tumentibus verbis adijt, & pe ijt, an imperauit, ne atrocissima Templariorum crimina impunita deinde pateretur. Homines testatus est improbissimos, & impurissimos; ferro igniq́ue depascendos, si clementius cum eis ageretur, censuit. Pont. regi obsequitur; indices quærunt, & testes, ficta reris, sacra profanis miscent, tumultuarioque illo calore, de re grauissimâ, priusquam certi quid constaret, penè deliberant. Ne vero & nos in dicendo, eorum inferendo sententiam, celeritatem imitemur, lento gra-

du,

le hac re, sermonem texamus.

CAPVT VIII.

nplarios duo nefarij homunciones ad Philippum Pulchrum deferunt.

PRIMI *indices*, Marianæ verba lib. 15. de rebus Hispanis, cap. 10. accipite, *duo ex eodem ordine extitêre; Prior Monfalco- n agro Tolesano, Noffus exul Florentinus; au- s haud satis idonei, vt testimonio multorum ;atum est*. Quid idonei? ineptissimi. Vterque mplariorum Magistro, Parisijs, carceris in n duraturi damnatus, postquam auersæ libi- s, & violatæ fidei ortodoxæ crimine; multis estis testibus, & sui ipsorum testimonio, cô- i sunt. Hicinè indices, & testes firmi, in iudi criminaretorquentes? Hicenè virtutis veræ ides, & rigidi satellites? Imò impij sycophā- abulæ, nebulones, qui tenebricosi carceris o fatigati, & solicitati; otio, quo à libidinum itudine retardabantur, in crimina effigienda ti; Magistri, & Consiliarorum illius curiæ

 run-

ruinā meditari sunt auspicati; quâ vnâ viâ, libertatem nequitiæ præmium consequi sperabant. Prona, in scelus, vtriusq; voluntas; occasio deerat, & ingenij acumen, vt rem tantam molirētur. Notissima, eâ tempestate, Regis Galli auaritia, stupidis bucconibus, ad negotium peragendum, stimulos non leues addidit. Nam, quæ prius displicebant consilia, atrocissima quæuis, & fœdissima crimina viris probis familiarissima testari; ne ipsi, probatâ Magistri, & cæterorū templi militum integritate, maiori inuidiâ cumulati, supplicio etiam sæuiori afficerētur; perpenso regis ingenio, fabellas vim habituras, illo ad Lucellum opum, & facultatum Templariorum, si rite damnarentur, regio ærario vocantium, inhiante; probitatem vero illius cœtus, in ipsâ rerum omnium abundantiâ, potentioribus suspectam, facilè collidendam existimarunt.

Re maturè pensitatâ Philippum adeunt, & cōcinnâ admodū oratione: *Orthodoxi principis,* verba Theopanti in Epit. de Tēpl. *interesse,* instillāt, *ut crimina Dynastarū potentiâ, & opibus, humana simul, ac diuina iura conculcantium, impunita cæteris peccandi licentiam, in sanctissimæ fidei contumeliam, regisq́, ipsius & reliquorum Europæ principū dedecus largiātur, impedire. Se quidem rubore*

per

*fusos, & animo ac viribus infirmos, quæ à pri-
ā ætate callebant, pro diuini numinis gloriâ, &
hilippi splendore, velle præfari. Optare tamen, &
Deo Opt. Max. semel, atq; iterum precari, si fas
fet, ipsis potius, pro militiæ Templariorum expiā-
s sordibus pœnas exoluendas, sæuo fulmine tactis,
ut sulfureo terræ hiatu mersis imponeret, quam ea
rimina, quorum conscij, æterni numinis cultu, &
ræstando regibus obsequio moti, notitiam Philippo
rabere studebant, vera, cum Templariorum dede-
ore, & ruinâ inuenirētur.* Hoc vsi exordio, à re-
g͂q; & dicendi licentiâ factâ, & spe veniæ, si
uid momenti afferrent, propositâ, accusationis
apita enumerarunt.

Hæc grauissima, è Marianæ Annalibus trans-
cribo, *Christum eiurare esse solitos, Virginem
matrē, Cælites omnes, cum primùm se ad eū ordi-
nem adiungebant. Per eum, salutem esse habituros
Deum vè esse negare. Suorum scelerum pœnas,
crucis morte soluisse. Crucis signum, Christi Dei
imaginem, sputo, lotio, pedibus fœdare consueui-
sse, sanctissimis præsertim diebus, quibus Christi
cruciatus memoria recurrit, quò maior cōtumelia es-
set. Insanctissimâ Eucharistiâ, corpus Christi esse,
idq; & cætera christiana sacramenta repudiare.*

Ne.

Ne à sacrificis quidem, mysticaverba proferri, cùm diuinâ hostiâ sacrificare videbantur, quasi hominũ commenta excogitata, inutiliaq́. Magistrum ordinis Generalem, aliosq́, singulis cœnobijs præfectos, quamuis presbyteri non essent, peccata omnia condonandi potestatem habere. Catum, in conuentu apparere solitum, quasi religiosum venerari, plenumque numine. Præterea idolum aliquando triceps, aliquando vniceps, aliquando etiam, cranio demortui hominis, pelleq́, contectum. Ei diuitias, facultates, incolumitatem, bona omnia accepta ferre. Chordã, eius idoli contactu, sacram, corpori inuolutam gestare, ominis caussâ scilicet. Auersæ libidinis licentiâ, & paciētiâ pari; impurissimas inter se, corporũ partes deosculari, in omne fas, & nefas auidos; idq́; honestatis specie, tanquam iure conceßum, probitati consonum. Eius ordinis amplificationem, numero, copijsq́ue curaturos, omni conatu, iurare, honesti, inhonestique nullo discrimine.

Hæcce, ex antiquioribus, fortuito haustu, Mariana coegit. Plura, & diuersa superstitionis indicia plures alij referunt. Ioannes Rauisius, Bergomensis, Volaterranus, Platina, Cælius, inter cætera, illud solemne Templarijs testantur, eorum, qui in acie, forti animo dimicantes, occubuerant, cadauera, funebri pompâ, in pyram edi-

tis-

ssimam inferri, atq; in eâ comburi, pretiosissi
is aromatum illitis lignis; tandem cineres illos
premos colligi, quas vbi, *Relliquias vino, & bi*
lam lauêre fauillam, non amœnis, ex ritu prisc-
, tumulabant hortulis, mero liquescentes po-
sent; hoc cyatho vires iuuari, animum, & spi-
us addi dictantes. Quicunque virginem deli-
rat, primam, ex eâ, virile prolem susceptã, cœ
dicare, vt idolo illi tricipi immolaretur igne
ta, puerilique aruinâ, sacra effigies vngeretur.

CAPVT IX.

emplarijs primoribus, Philippi indu-strià, vincula inji-ciuntur.

GALLVS, negotio, leui mentis trutinâ, penso, in animum, lucelli stimulos altius immergi, libenter passus. Quid e-n faceret his pungentibus? Iuuenalis cõcinne, ina, & humana iura rumpentem, conculcan-n, oblitum, diuitiarum auidum depingit, Sa-. 14.

——— *Sed quæ reuerentia legum,*

Quis

Quis metus, aut pudor est vnquã properãtis auari? Protinus, ne è manibus calua liberetur occasio, curâ maximâ, & silentio vsus, in diem constitutum, quotquot apud Gallos, in templi militiam iurauerant, si clari natalibus, custodiæ traderentur, si ignoti, trucidarentur, regio diplomate, ad vrbium, & oppidorum propretores misso, edixit. Res est ex decreto confecta. Magister Iacobus Mola Burgundus, & quicunque dignitate, ac opinione, in eo cœtu splendidiores, ad Pont. Clementem V. & Philippum Regem, Lugdunum adducuntur. Vterque homines clarissimos, è tanto fastigio, in tantam calamitatẽ aduersâ fortunâ, prolapsos, ad criminum spontaneam propalationem, & auctoritate suâ interposita, & veniæ spe factâ suasit. Viri optimi, in tenebras illas, & caliginem subitò coniecti, somno veluti oppressi, quid penli haberent? Quid ad interrogatiunculas; quid ad minas, & Dei vicem gerentis mellita verba redderent? Quicquid Pont. arrisit, & regi, annuentes, sine sensu propemodum, inopinato mœrore perculsi, publicis notis excepti sunt passi. Philippus hisce auspiciis, *Rem factam sibi protinus putauit, Exẽplo nimium periculoso;* nullâ què morâ tantos conatus retardante, Parisios magistrum, reliquos

què

è proceres illius militiæ, vinctos irè iubet, vt in vrbe celeberrimâ, & apud integerrimos lices, popularemquè multitudinem, in curiâ apud eruditissimos Doctores, in Academiâ, ein, quæ coram se, & Pont. Lugduni, æquo mo, scriptitari tulerant, impudenter, palàm e editâ, proferrent.

nterim Viri primores, de Rep. & Orthodoxâ , quondam benemeriti, è priori illo sopore tis, ipsâ asiduitate, leniti magna ex parte, ex icentes; de nomine, & famâ suę curiæ solici- se cœperant; & quod Lugduni, recenti ere pressi, de se orbi suspicari concesserant, ndare animo integro sunt conati. Magister r Parisijs, in theatrum eductus, vt quæ Pōt. gi fassus fuerat nutu, aut simplici voce, iure- ndo coram populari turbâ, & Academiæ ibus firmaret, iureiurando quidem se obs- gi libenter passus, in verum propalandum, x, quicquid apud Pont. & regem olim, de apiariorum moribus, & fide differuerat, o alienum omnino fuisse est testatus; nec ni ermente ad id adigente, & manuducente, æ rumor sparserat, mente, præ dolore, issimo, parùm constante, edidisse. Nunc Deo Opttimo Max. teste interposito pa

lam

Iam fateri, Templarios ab his labibus longè latèque abesse, imò insontes, integros, orthodoxos, probissimos viros, principum inuidiâ, eâ calumnia, per summum dedecus affici, & contra ius, ac fas necari.

CAPVT X.

Damnantur ferro, igniq; Templarij milites.

FRVSTRA Iacobus hæcce, voce contétâ, forti animo, clamitabat. Quod prius inter iocantes veluti Pont. & regem annuerat, ratum, ac verum Gallus instarê, ficta, & ludicra, quæ modò minis, & cruitatibus vndique strepentibus vulgarat. Reuixisset Hieronymus, easdem, quas olim, pro fictâ caussâ, in hac calamitate, voces geminaret, ex Epistol. ad Asellam tom. 2. *Isti crediderunt mentienti, cur non credũt neganti? Idem est homo ipse, qui fuerat. Fatetur insontem, qui dudum noxium loquebatur; & certè veritatem magis ex primunt tormẽta, quam risus; nisi quòd facilè creditur, quod aut fictum libenter auditur, aut non fictũ, vt fingatur, impellitur.* Regi de facul-

facultatibus ingenui cœtus, admodum so-
ito; nil ad clementiam, aut saltem æquitatem
mi strauit. Adhuc excandescentiam, furores,
uitiam expauescebas? Quæris laxamentum?
ra supersunt immaniora Senecæ clypeo; aut
o, ad referenda, te muni, ex Epist. 7. *Quic-
d antè pugnatum est, misericordia fuit. Nunc
ssis nugis, mera homicidia sunt.* Decretum;
nimis depascendus paullatim, si forte crucia-
dolore, & horrore, ficta scelera, vera afferat;
ximus Templariorum Magister, alijq; illius
us viri proceres vnâ traduntur. Libera tamē;
plicium vitandi, facultas fit, si veniam pro
eribus, in vulgus sparsis, in theatro precen-
Abnuunt conditionem; erectis ceruicibus;
nte serenâ, animo pacato flammas ineunt;
mantur, vitam finiunt. Nemo, aut vitę dulce-
, aut ex scelerum conscientiâ, crimina, de
us agebatur, caliginosâ illâ flammarum nu-
biectâ fatetur.

lariana; in pyram Magistrum deductum sic
ibit. *In his summus ordinis Magister Iacobus
a Burgundus, cùm ad supplicium raperetur,
ntiâ pronuntiatâ; propositâ quamuis vitæ spe,
nitateq; si veniam supplex palâm peteret, hu-
di verba fecisse, probatæ fidei auctores affir-*

mant: Ego, inquit, extremo vitæ tempore, cum inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, ac per omnia numina iuro, quæ de Templariorum impietate, criminibusq; & antè iactata, & nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, iustus, ac orthodoxus est. Ego tamèn extremo supplicio dignus, qui Pont. regeq; hortantibus, flagitia impia, sceleraq; ementitus sum, in ordinem eum, de religione Christianâ optimè meritum. Quod vtinam, ò vtinam factum non esset! Sed, quod vnum superest, meis delictis si veniæ locus est, ignosci posco, vltroq; grauiores etiam pœnas deposco. Si quo modo diuinum numen patientiá placare, apud homines misericordiam, hac calamitate mouere possim. Vitâ mihi precariâ quid opus est, tãto præsertim scelere, impietateq; ad quod prouocor, retentâ? Hæcce Tẽpli militũ tragœdia, in ipso Parisiorum theatro acta, luctuosa vniuerso orbi, fortunæ ingẽs documentũ.

Sumpto de Magistro, & proceribus supplicio, auctor est Æmilius, quod vnum Philippus optarat, nullo obsistente, inuasit opes eximias, supellectile tot Dynastarũ sibi vẽdicatã. Arridet nè, & calculo tuo defẽdẽda sentẽtia est visa? Heu quale nefas! ò immanẽ mortaliũ, imò & ferarũ sæuitia! Adhùc de regis truculentiâ, palàm, & liberè sentire ambigitis, qui pij, orthodoxi, huma-

umaniæ Barbari, & ethnici palàm, & liberè
rofciderent. Æquior, faltem non ita iniquus,
Iithridates Ponticus, cùm edictum illud, per
gni conuentus vulgari iufsit: *Ad tricesſimũ diẽ*
nnes pariter Romanos, qui apud eos essent, & Ita
, eorũq; mulieres, cum pueris, & liberis, qui Ro-
ni sanguinis esse censerentur, interficerent. Ap-
ani verba funt. Quo nomine, fi Plutarcho cre-
, in Syllâ, hominum 150. auctore Valerio lib.
cap. 2. millia 80. ciuium Romanorum occifa,
tamen pronũtiata illa in hoftes fententia cui
n difplicuit? cuius calamitatis cauffa non exti
Florus lib. 31. cap. 5. *Aderat, instabat; sæui-*
, quasi virtute vtebatur. Nam quid atrocius
) eius edicto, cũ omnes qui in Asiâ forêt, Roma-
ciuitatis homines interfici iussit? Quid inde.
m quidem domus, templa, & aræ, humana omnia
ue diuina iura violata sunt. Hæc de barbaro
e, idolorum cultor hiftoriographus. Quid
ege orthodoxo, facris fidei fanctifsimæ my-
ijs imbuti fcriptores proferemus? Ille hoftes,
eligione difsimiles, hic amicos, indigenas, Dei
t. Max. cultu æquales, militiæ, editis à D.
nardo, & Crecêtio viris integerrimis panegy
, exornatę nomine, potiores, nec minores nu
o die vno Veneri, ritu Gẽtiũ, facro 3. Id. Oct;

anni 1307. alijs 1310. placet, ferro, igne, ignominiâ, proterit, comburit, fœdat. En tua pulchritudo, belle Rex, en tua maiestas, Philippe Galle, rogo hominem sapias, an belluam? non belluã neq; enim vlla tygris Hircana, aut Libyca leæna, in viros insontes, vt opes raperet, sic sæuiret, ita vngues panderet, hac insaniâ cruorem funderet.

CAPVT XI.

Templarij à calumniâ vindicantur.

PHILIPPVS, carnificibus, à lani indis Templarijs, fatigatis, eorum cruorem adhùc aridis veluti faucibus expetebat; forsan vt auaritiæ sitis delitesceret, an assiduitate sæuitiæ morosâ, in naturam versâ. Hac ærugine, an loligine impellente, à Pont. tabellas sacras, Petri sigillo munitas extorsit, ad Germaniæ principes, & Hispaniæ reges; quarum vi, Templariorum mores inquirerent, eorum opes & facultates sibi caperent, spoliatos, tortos, iniuriâ affectos, conspurcatos rumoribus sinis-

tris

,trucidarent,comburerent,è mortaliũ memo raderent. Quid verò inde sibi Pulcher iste llus, emolumenti, an momenti sperabat?

Noctem peccatis, & fraudibus obijce nubem,

ʾamiâ exui, cæteris regibus auarè item, & sæ- in Templarios decernentibus. Ea pestis lon- ab Hispaniâ, & Germaniâ exulabat, in Gal- tota secesserat. Qui sodales in scelere quæri- at, in se vnum improbissimum, iudices inte- rrimos nactus. Sceleris puri, orthodoxi, præ- ntes vbique Templarij reperti sunt. E Ma- nâ hùc transcribam, quo pacto res sit acta: *oximo anno, pridie Kalendas Augusti, litteræ à nt. datæ, quibus inquirendi, in Castellæ Tem- rios, Compostellæ, & Toletano Archiepiscopis testatem permittit, adiuncto Aimerico Inquisi- e, ex Prædicatorio ordine, alijsq; præsulibus. In ragoniâ idem negotium Episcopis, Raymundo Va itino, Semeno Cæsaraugustano datum est. Idem reliquis prouincijs, toto Christiano orbe, factum; temperamento, vt inquisitione habitâ, de summâ rum, in Concilijs tantùm prouincialibus cognos- retur. Magna turbatio, ingens Templarijs, eorum e necessarijs luctus; nouæ spes alijs, ex eorum ca- mitate. In Aragoniâ, correptis armis, arcium se*

m
unitione tueri constituunt. Variæ militum manus, adeos comprehendendos, abs rege missæ. Ad Montionem, propter loci munitionem, maxima belli moles incubuit. Victi Templarij ferroq; vincti. In Castellâ Rotericus Iuanius Ordinis Promagister, socijq; omnes, à Concaluo Toletano Præsule, ad dicenuam caussam vocati. Vincula iniecta abs rege omnibus, bona eorum occupata, penes Episcopos tanquam sequestros deposita, vsque ad cognitionem caussæ. Salmanticæ, in Vectombus, Patrum Concilium habitum est. Rotericus Compostellanus, Ioannes Vlyssiponensis, Vascus Idigitanus, Concalvus Zamorensis, Petrus Abulensis, Alfonsus Ciuitatẽsis, Dominicus Placentinus, Rotericus Mindoniensis, Alfonsus Austuricensis, Ioannes Tudensis, Ioãnes Lucensis affuerunt. De vinctis, atque supplicibus quæstio habita est, caussâq; cognitâ, pro eorum innocentiâ pronunciatum, communi Patrum suffragio. Et infrà pro Germanis. In Maguntiâ, cum in frequenti Patrum consessu, iussu Pont. de eâ caussâ ageretur, Hugonem, cum viginti ordinis sui socijs, irrupisse in conuentum aiunt, clâraq; ne voce testatum, si quid grauius in eum ordinem esset decretum, se Pont. Maxim. Clementis successorem appellare; feraciâ eorum deterritos Patres, bono animo esse iussisse; Clementem certiorem litteris factum,

ius

de integro, quærendi, statuendi, Archiepiscopo nandasse; causâ illorum cognitâ, crimine libe-'e, tanquam innocentes. Non parum pro Tem riorum integritate, hæc faciunt testimonia spanorum, & Germanorum principum. Nec à ratione alienum, hisce nixum argumentis, in hanc partem ducere.

Viam aperiat constantia illa Magistri, & alio n, huius cœtus procerum, propositâ impuni-e, si palàm iureiurando testarentur, ijs Tem-rios delictis irretiri, quæ inuidia, & princi-m auaritia commentabantur, necem, pyram, npiternam nominis iacturam, prò fide, & ve-libentissimè ineuntiũ. Olet mihi hic animus, i fortis, & integerrimi, ab Horatio, & uenale inculcatam descriptionem, Ab illo . 3. Od. 3.

Iustum, & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis tyranni,
Mente quatit solidâ, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ;
Nec fulminantis magna Iouis manus.
Si fractus illabatur orbis,
Impauidum ferient ruinæ.

Iterum, 2.lib. Epist. 16.

Vir bonus, & sapiens, audebit dicere: Pentheu
Rector Thebarum, quid me perferre, patique
Indignum coges? adimam bona; nempe pecus, rem,
Lectos, argentum? Tollas licet. In manicis. &
Compedibus, sæuo te sub custode tenebo.
Ipse Deus, simulatq; volam me soluet; opinor
Hoc sentit, moriar. Mors vltima linea rerum est.

Iuuenalis Saty. 8.

Esto bonus miles, tutor bonus, arbiter idem
Integer, ambiguæ si quando citabere testis
Incertæq; rei, Phalaris licet imperet, vt sis
Falsus, & admoto dictet periuria tauro,
Summum crede nefas, animam præferre pudori,
Et propter vitam, viuendi perdere caussas.

Excogitari nè aliquid elegantius, & ad hanc rem aptius potuit? Ignes, tortores, cruciatus, minæ, reges suasores, mortis tenebræ, à recto rationis moderamine, personatum virum præstantem deterrere minimè valent. Eadem Templariorum Magistrum, hominem vero corpore, & ossibus constantẽ, á fide detorquere nequeũt. Optimũ prædicato, asserito, inclamato. Sed, ais, inuide, & liuide Zoile: Magister, aliiq; plures, quæ euulgabatur, falsi sunt. Fateor, do, non inuitus, eã ansã.

Quid

d verò inde, in tuam caussam, tutelæ? An-
'unt, vel etiam de se plurima propalarunt,
de mortis caligine, quæ coruscantes faces,
animi sensui aperiendo subministrat, nil
itabant. Negant ea omnia, *Cum mors atra*
t, nigris circumuolat alis, qui rerum huma-
m terminus verum liquidissimũ exprimit.
usti prudentiam non semel inde percepi,
è vitâ decedentium verba, & sententiam
, maximi faceret. Sueton. in August. cap.
Exegit & ipse inuicem ab amicis beneuolentiã
iam, tam à defunctis, quã à viuis. Nam quãuis
mè appeteret hæreditates, vt qui nunquam, ex
i testamento capere quidquam sustinuerit, ami
n tamèn suprema iudicia, morosissimè pensita
eque dolore dissimulato, si parcius, aut citra ho
n verborum, neque gaudio, si gratè, piéque
se prosecutus fuisset. Optimum principem
are, cole, extolle; *Et te quoque dignum finge*
Quid instante carnifice, euaginato gladio,
s exitis, dicant Templarij, curiosè pensita,
m existima; cætera folijs iam *carmina mãda,*
turbata ferant rapidi ludibria venti. Illa, su-
perculsi vulnere, mente alienatâ, è sæuitiâ
rentis, in buccam venerunt; hæc numinis
s, deliberatio matura, vera prudentia dicta-

uit. Quid in his angustijs clamitant? Hispanus Pontificiæ historiæ auctor, lib. 6. cap. 1. *Inter numerosam adeò Templariorum, ob hanc caussam, ferro, igneque interfectorum turbam, nec vnus est repertus, qui in ipso supplicio, non fateretur palàm, insontem se se damnari, cœtum ipsum, cui addicebatur, sanctissimum; à Collegis verò integrè, & religiosissimè illius leges, & decreta obseruari.* In huiusmodi inclamationibus, tot hominum pereuntiũ millia contẽne, vt vnius, & alterius auaritiâ, sæuitiâq; deuicti homũcionis tuearis sententiã.

Nec minus firmum inculco, pro hac sententiâ, aliud argumẽtum. Hæc Templariorum caussa, maximâ pro vtraque parte, contentione est discussa, & cõtrouersa; neq; enim facilè, homines, aut iuris Cæsarei notitiæ clari, aut ciuili pruden tia, & rerum experientiâ inclyti, nodũ hũc Gordianũ soluendum existimarũt. Eâ de causâ plures testes, pluribus in conuentibus rogati, vt res tandẽ liquesceret. Quid testes? Vnusquisque in diuersa abijt; nullus est, qui cum alio cõsentiat; hic impuros homines, ille sacrilegos, quidã cultores idolorum, fidei desertores alius, alius Mahometicis sacris deditos, & humanar ũ victimarum auidissimos facit. Si lubet, veteres historiographos cõsule. Tædet? In monarchiâ Ecclesia-

stícâ

lib. 22.§. 3. cap. 21. inuenies, Optimum, & hoc satis, in tantum dedecus, & suplici-:antis viris parandum? Dic tu Peripatetico-Princeps? Negat ille Mag. Moral. 1. cap. 6. 1: *Testimonijs certis*, ait, *in rebus incertis vtē-est*: Quæ res obscurior, & magis anceps? testes ineptiores, & magis ambigui? Passim crâ paginâ hæcce testimonia iniqua vocita dies. En duos presbyteros, contra Susannâ .13. Dic similes, in vindicem humani gene-onficta à Iudæis crimina retorquentes; de us Marcus, vt æterni numinis, mortali, pro talibus, naturâ contecti integritatem pan-t, nil aliud quàm dissensisse asseruit cap. 14. *ti enim testimonium falsum dicebant, aduer-um, & conuenientia testimonia non erant.* Dic le, dic Zoile palàm, dic aperte, intona, ge-a Templarios insontes. Marcus tuetur, & docet; neq; enim conuenientia contra hos s crimina à testibus effingebantur.

ertiò adde maximũ, pro Tẽpli militũ inno-iâ, & illius religiosi cœtus præstantiâ, mira-m. Refert ex alijs Pineda, loc. cit. §. 4. Pluri-x ijs, qui ad flammas sunt damnati, candidis s, in religionis symbolum induti, ad sup-um deportabãtur. Extincti sunt; flagrante,

& de-

& depascente miserorum corpora igne; combustis vero, & in fauillam versis hominibus, palliola adhuc integra, illæsa, flammis illibata remãserunt. O rem mirabilem, nec alio sæculo, quam priori illo felicissimo, quo martyrum chorus, toties triũphos de sæuitiâ imperatorum gloriosissimos egit, auditam! Parcit flamma, ferri, & silicis vastatrix laneis togis, nec parces laureatæ togatorum famæ? Ignis cedit, & religionis veneratur ornamentum, linguæ audacia, & improbitas denuò nocentes, acerrimos Templi satellites efferret? Impuri, & numinis contẽptores Templarij audiunt; quando flamma mortalium corporibus, aut vestibus pepercit, nisi vt puros, & Dei cultores ostenderet? Rem calleto ex alijs. Ex Græci Heliodori historiâ, iterum audi, si fidem adhibes interpreti Stanislao Vvarscheuviozki lib. 10. cap. 27. Hoc indicio integritas Theagenis, & Charicleæ, Æthiopes in admirationem rapuit: *Afferre focum Hydaspes iussit; collectis igitur pueris impuberibus, ex multitudine (solis enim, sine vllo detrimento attingere licet) efferebãt è templo, & in medio collocarunt, conscendere quẽlibet captiuum iubentes. At ex his, quicunq; conscenderant, statim in plantâ adurebantur, cum nec primum quidem, & ad exiguum tempus contactũ, quidã*

idam sustinuissent; aureis quidem verubus foco itertexto, porrò ad eam efficaciam elaborato, vt iemlibet immundum, & alioquin eum, qui peießet, adureret. At è contra, eorum qui secus æta-m egissent, sine vllo detrimento, gressum admitte. Mox de Theagene *Postquam, & Theagenes m conscendisset, mundus esse apparuit, omnium miratione exceptus, cùm propter proceritatem, pulchritudinem, tùm eo quòd vir adeo florenti ate, rerum venerearum expers esset; ad solis sacriium instruebatur.* Infra de Charicleâ. *Accurrit, insiluit in focum, stetitq́; longo tempore illæsa, lchritudine magis tùm etiam relucente refulgẽs, omnium oculis, ex alto exposita, atq́; à figurâ læ, simulacri Deæ magis, quam mortalis mulie-similis.* En castimonia, & morum probitas; ab ie illæsa. Quid illæsa toga Templariorum, ni llitis collegij integritatem indicat? Sed & pie incœlestes, eodem signo panditur; vt Tem-rios castimoniæ, & religionis laudibus egre-is fatearis. Veteres illi sapientes, reges me-is, inter Deos, & cæteros mortales statuerunt; vt nihil hominibus â numine, nisi per regios ?ius deriuari crederent. Ita explicandus Lyri lib. 3. Od. 1.

Regum timendorum, inproprios greges,

Reges

Reges in ipsos imperium est Iouis.

Verùm quo indicio familiares sibi reges Dij optimi illi vetusti propalabant? flammis innoxijs. Virgil. 2. AEneid. quam gratum id omen Anchisæ recenset.

Namq; manus inter, mæstorumq; ora parentū;
Ecce leuis summo de vertice, visus Iuli
Fundere lumen apex, tactuq; innoxia molli
Lambere flāma comas; & circū tempora pasci.
At pater Anchises, oculos ad sydera lætus
Extulit, & cælo palmas cum voce tetendit:
Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris vllis;
Aspice nos; hoc tantùm, &, si pietate meremur;
Da deinde auxiliū pater, atq; hæc omina firma.

De regno Italiæ præsagium explicat Claudianus, in 4. Consul. Honorij.

——— ———*Ventura potestas*
Claruit Ascanio, subitâ cum luce comarum
Innoxius flagaret apex.

Ad Virgilianum carmen, plura, in Cerdæ opere, parata supellectilia. Rimare, qui testimonijs pasceris. Ego, mi adolescentes gemmei, illud arcanū inculco: *Si pietate meremur*, pietas in numen sempiternum, & Deorum cultus, ignem sine noxâ promeretur. Quæ Templariorum pietas, qualis religionis cura, qui numinis æterni, fi-

dei

; sacrorum cultus, flammis innoxijs, à no-
carnificibus, iniectis patet.
ec leuè, nec spernendum, pro Templario-
integritate est aliud argumentum, quo plu-
, & ornatissimi vtuntur. Rem è Galli sena-
monumentis auspicemur. *Neopoli*, refert,
odig. Histor. part. cap. 8. Claudius Tessa-
us Parisiensis. *Clemens* 5. *Pont. max. &*
ppus Pulcher Galliarũ Rex, communi consen-
pte damnarunt (non nulli iniquè id decretũ
nt) vnum ex Templariorum familiâ colle-
Euenit, vt ductus in supplicij locum, Pont.
um rege, in specularijs, infaustæ pompæ tur-
contemplantem aspiceret, in eosq; versus, vo-
â protulit: Deficiente, in terrarum ambitu,
ri iudice, ad quẽ de iniquâ in me, vobis auctọ
sentẽtiâ, appellationem deferam, à Deo Opt.
cõtrouersiã hãc dissolui volo, ad cuius tribu-
ni spatio, vterq; compareatis edico. Ille enim
imus iudex, nullâ hominũ ratione habitâ, pro
sa, quâ pollet, sapientiâ, verũ, & certissimũ,
deo ambiguâ decernet. Nec vana illa Tẽplarij
atio extitit. Eodẽ enim anno, qui à Virginis
1314. censebatur, Põt. & rex diẽ obierunt.
iquidissimè cõstat, æternũ numẽ cui totius or
deramẽ subicitur, nec vnquã potẽtiorũ opibus
&

& auctoritate vigentium caussis, vt apud nos est in more flecti potest, solere, pro eorum famâ, & integritate, qui contra ius, & fas, à regibus contriti tandem interimuntur, irâ vindice, in sceleris auctores graßante; æquissimum se rerum humanarum arbitrum propalare.

Ne vero longis ambagibus, quæ circa huiuscẽ modi euentum; quæstiones excitari possunt, de temporis supputationibus; & aliorum auctorũ sententijs, breui in opusculo discutere, pro nostro iure teneamur, libet ex Delrio Disq: Mag. lib. 4. cap. 14. quæst. 1. sect. 1. vltimas lineas protelo mutuari. *Vix est quisquam, cui non sit audita damnatio Templariorũ. Ex his vnus, Neapolitanus eques, traditur ad diuinum iudiciũ appellasse; & Clementem 5. ac Philippum Pulchrum Francorum Regem; anni spatio concesso; coram tribunal illud supremum citasse. Addit Fulgosus 2. dist. cap. 6. intra id tempus; Clementem repente mortuum, nec multò post Philippum quoq; interijsse. Hoc alij ex calculo temporis conantur refellere. Sed confirmant idem Christianus Massæus, & Meierus lib. 2. Annal. & lib. 17: Chronic. qui Papã & Regem, eodem anno 1314. tradunt obijsse, illum 20. Aprilis hunc 29. Nobembris. Fuerunt quidem Templarij, anno 1312. in Concilio Viennensi, 3.*

die

Aprilis condemnati, sed non omnes eodem anno prehensi, ac occisi, sed quidam sequenti, vt Neatanus ille, scilicet anno 1313. cumq; 1314. cur-e mortui sint iudices illi duo, dicuntur non ertò, eodem anno obijsse, quo citati fuerunt; ò Ganguinus, & Æmilius mortuum volunt re-, anno 1313. quem constat Pont. superuixisse. ce nixus indicijs, ab iniuria vindicare Temrios quis non audebit? Gallus aliquis; non ncus, sed Cybeleus. Non ipse Clemens. *Nē surgat spiritus ignea chimæræ*, Philippus Pulr. Quid? si ex Iuuenale Saty. 13.

Exemplo quodcunq; malo committur, ipsi
Displicet auctori. Prima est hæc vltio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur.

Attamen, ne sententiam videamur te, liuide, udito ferre, in arenam tandē egredere. Quid itra es meditatus, libere pande.

CAPVT XII.

Obiectiunculis pro dignitate occurrimus.

Fidem adhibere hisce difficile, nè à fide forsi-

tan deficientium speciem demus. Templarios ne insontes, integros dicam, quos Pont. & Concilium Viennense damnarunt? Quæ perfidia, qua lis audacia, dicam an improbitas, an impudentia? *Prius imà dehiscat terra mihi.* Patrum sanctiones venerabor, colam summi numinis, in terra, vicarij auctoritatem, *dum spiritus hos reget artus.* Papà, sophòs, eugè, ò virum probum, & sanctissimis imbutum moribus, eorum locandus in phalâge; *Qui Curios simulant, & Bacchanalia viuunt.* Quæ tua est frons, effrons; quæ modestia, pudice; quæ prudentia, insane? Nos Pont. auctoritatem minuimus, frangimus Concilij decreta? Vtrũque supplices amplectimur, veremur, defendimus, sectamur; incolumiq; Clementis, & Viennensis Conuentus dignitate, nostras assertatiunculas in lucem damus.

Prius de Pont. sermo erit; mox ad Conciliũ transitus. Templarios pro Dei cultu, etsi integros, & insontes Põt. rẽ diu pensitatâ damnauit. Vt liqueat, nonnulla altius repetere oportet. Benedicto Vndecimo, vitâ functo, plurimis eam supremam dignitatem ambientibus, *vacauit*, verbis Platinæ vtar, *tum sedes, à nonis Iunij, vsque ad nonas Iulij insequentis anni, licet Cardinales, in conclaui ob eam rem constituti, à Perusino populo*

impulsi

ulsi per sæpe sint, minis interdum additis, vt t. deligerent. Tandem Italos inter, & Gallos, dissidij caussas subministrabant, conuenit, vt tiarâ digni ex diuersa patriâ ab alteris pro- ierentur, alteri ex his vnum, quem vellent, honore condecorarent. Hac pacis viâ apertâ, i tres Gallos, Philippo Pulchro maximè rsos, ex ante actis simultatibus; inter quos ymundum Gotthoncin, Bertrandi filium, ione Vasconem, Burdegalensem Antistitem, larant supremi honoris candidatos. Purpura- Galli, quibus ex pacto, ad deliberandum, qua- ginta dierum spatium obtigerat, Regem Phi- pum, per nuncios clancularios, rei certiorem iunt, optimūq; fore, si depositâ simultate cū rdegalensi Præsule redeat in amiciti m, eicē- e spe tiaræ propositâ, ad morigerandum regi s Galliæ stimulos incutiat, concinnâ oratione lerunt. Dictum factum, Philippus Raymun- m accersit, hominem nil talè suspicantem, ad manæ curiæ moderamen euehi posse docet, odo sibi abtemperet, & nonnulla honesta qui- , & decora, pro tiarâ paciscatur. Hæc inter be- ficia, ac officia Philippo persoluenda, Anto- us Massæus, & Æmilius id vnū recensent, fo- vt Bonifacij 8. acta rescinderet; hominem fi-

dei desertorem assereret, illiusq; ossa publicè in theatro, comburi iuberet. Tandem Raymūdus Pont. creatur, & Clementis nomen scititus, clementiam etiam in vitâ functos induit; regemq; importunè, pro Bonifacij iniuriâ sollicitum, Templariorum damnato cœtu placauit. Hac de caussâ ad Clementis encomia, hanc sæuitiæ speciem accedere facilè suaserim. Oportet enim eiusdem coloris effectum esse, cum suâ potiori caussâ. Caussam panegyricè Platina prosequitur: *Et Regi Franciæ, apud Pictauium, quædam inhonesta petenti, quominus id impetraret, restitit. Nam & damnari Bonifacium petebat.* Illius effectum inter laudes reponendum censeo. Templarios damnauit? Fateor, sed iam, ne maius facinus, quod ante tiaram, animo conceperat, eodem impetu patraret. Instabat rex, pro Bonifacij Pont. à quo pluribus iniurijs lacessitum se affirmabat, memoriâ damnandâ. Nec preces Clementis, nec verba, ad placandum regis animum, quidquam roboris obtinere diu possunt. Tandem, vt ab eo scelere, regis animum alienaret, hoc indulsit, vt Templarij se non renuente perirent. At damnauit, caussâ dictâ, & ceteris vtriusq; iuris moris liberè concessis.

Sed damnauit iniquè. Absit ab orthodoxo pecto-

tore hæc suspicio. Clemens æquè, & sancti-
iè, de Templariorum damnatione, caussis,
assis, & querelis, à Philippo prolatis, decre-
In quem ergo crimen, & improbitas retor-
uda? in regem, qui astu, & calliditate Pont.
uenit, coëgit testes, pro supplicio institit,
atus est, nullum lapidem non mouit. Itaq;
æ rex pro hac caussâ est machinatus, falsa
n vera ipse optimè calliebat, ad trutinam vo-
rectè, & ritè à Clemente Templarios dāna-
fateberis. Si verò ad Philippum, animum
as, inclamato per summam iniuriam, in has
ustias, ab eo probos, & religiosos viros im-
sos. Nam etsi non pauci ex eo cœtu, morum
dibus, & nequitiâ opinionum essent cōspur-
, id leue argumentum, vt de toto Collegio,
cissimum supplicium desumi statueretur.
Quæ pro Clementis Pont. dignitate faciunt,
a parum Concilij Viennensis auctoritatem
ntur. Fateor decretum illud, eâdem tempes-
, minimè lene, & humanū fuisse visum; illius
ien inclementiam non inutilem, pro eorum
in tēpli militiâ scripti, fæda & impia patra-
t, audaciā vindicandā; quò similes sordes, &
des, ab hominum sacris obsequentium pectò
longius exularent. Marianæ est sententia, si

 arridet

arridet. *Demum, in Concilio Vienensi, quod salutis anno* 1311. *Octobris die sexto decimo, haberi cœptum est, in Templariorum caussâ decretum, vt eorum nomen, & Ordo penitus aboleretur. Crudele decretum fuisse plerisq; vissum est. Neque verisimile, ea delicta, in omnes prouincias manasse, cōtaminasse singulos. Sed cunctis tamèn, eius Ordinis clade, documentum datum, similis perfidiæ vitandæ, præsertim viris sacratis, quorum opes, viresq; integrâ magis probitatis opinione, quàm re aliâ nituntur.* Præterea illud notum, quæ in sacris Cōcilijs decernuntur, nec morum integritatem, nec fidei orthodoxæ nitorem pertingentia, ab ijs decretis, quæ cæteris in curijs, pro ciuili moderamine statuuntur, minimè distare. Ita sentit eâdem difficultate pressus, ad calcem §. 4. citati, Pineda. Libet viri theologi verba referre. *Illud ineruditis suasum velim, Concilij sententiam, fidei dogmata, in ijs quæ historiæ sunt propria, nequaquam augere; tum nec de fidei sacræ rebus, nec de virtutum, ad æternam felicitatem obtinendam, necessariarum ornamento decernat; etsi religiosè, & supplici animorum habitu, esse accipiendam, & inculcandam, donec tenebras has caliginosas, æternū ipsum numen, suo fulgore irradiet, certum sit. Viris optimis, & pietate egregijs honestissimum id, &*

tutis

ſsimum, etſi controuerti poſsit, in fidei obſequiũ timatur. Vno verbo, ſi quid hic erratum, ex theologiæ, & iuriſprudentiæ fontibus li- diorem ſtilum hauriamus, ex facti ignoran- quæ neminem ſceleratum, aut impium red- non iuris inſcitiâ, aut contemptu, à quâ ori- maxima defluit in tam ſacroſancta vincula npentem labes, accediſſe fatemur. Satis iam, fallor., de Pont. & Concilio; ad regem gradũ, â veniâ facio.

CAPVT XIII.

Philippi Pulchri poſt faci- nus ærumna.

Rarò antecedentem ſcelestum
Deſeruit pede pœna claudo.

Cecinit noſter Lyricus lib. 3. Od. 2. Valerius per totum caput 2. lib. 1. infirmandâ ſententiâ cer, & grauis. Pœnas Pulcher, pro ſcelere, luit, n ſe, natis, & totâ ſobole; quæ diuinæ iræ flam- me non niſi improbos, & nequiſsimos depaſcũt. Sed præcipuè diuitiarum per iniuriam, & perfi- diam helluones. De Spartano depoſitum reti-

nere meditante, audi Apollinem apud Iuuenalē Saty. 13. pœnas sumentem.

Extinctus totâ pariter cum prole, domoq́,
Et quamuis longâ deductis gente propinquis.

Nimium dices supplicium, pro crimine, si crimen, regi tantum noto. Notum regi scio, & patratum, illud vero stringitur in eum, qui de patrando tantùm cogitauerat.

Has patitur pœnas peccandi sola voluntas;
Nam scelus, intra se tacitum, qui cogitat vllū
Facti crimen habet, cedo si conata peregit?

Peregit ille Pulcher. Quid inde? Plures in se ipse supplicij morsus expertus. Quæ patent, infrà recensebo. Arcana Iuuenalis pandit.

Perptua anxietas, nec mensæ tempore cessat.

Sed qui cruciatus pro sacrâ fide contemptâ, tot peierantibus, rege auctore, post obitum? sapientissimè Homerus, ex versione Lipsij, Iliad. 4.

At non irritum erit iurandum, & fœdera pacta
Sanguine; nec dextræ queis credere suadebamur.
Nā quāquā Deus, haud pœnas in corpore sumit,
At post sumet; & hi magno, mihi credite, pēdēt
Ipsi, atq; vxores, & dulcia pignora nati.

Apud Superos Pulcher soluit, intra annum, à supplicio Neapolitani, vt audijstis, extinctus. Quo morbo, an fato? diuino vlciscenti e Templa-

rios

gladio Meierus lib. 11. Annal. Flandriæ, enatione, ab equo, præ apri ferociâ, imperij to, distractum perijsse refert; alij repente minatum affirmant. Parum ais. Fateor, sed am cum Valerio: *Qui etsi debita supplicia nō uit, dedecore tamen filij, mortuus pœnas rependit, s viuus effugerat. Lento enim gradu ad vindi- a sui diuina procedit ira, tarditatemq́, supplicij itate compensat.* Quid inquis Philippi so- i euenit? Primum, *filij dedecore*, plurali in tan- rimine, *filiorum*, muto, *dedecore*. Tres iuue- præstantes, ob inclytam coniugum pudici- n, ne aureo diadematis pondere vrgerentur, ris laureâ insignes describit Pineda, lib. ci- c. 24. §. 5. Rē ferā, & turpissimā in sycophātā, d in regia proie! *Horresco referens.* Vos ipsi ri- mini, per legite, fatum insulsate, imò numinis filium supplices veneramini. Hice de Tem- riorum ruinâ, ad parentis nutum, curarunt, pudicitiæ crimine, de viris integerrimis sæ- sime propalato. En quas, pro pudicitiæ orna nto, impudicas sortiti coniuges, dant pœnas, ne aliud in regis improbi sobolem decretum? *Extinctus totâ pariter cum prole, domoque,* rilis proles consumitur. Familiarem ausi ul : Gallum; Forcatulum, de Gallorum impe-

rio. lib. 7. *Philippus pulcher, ore, mente, & nomine conspicuus, ex Ioannâ Nauarræ Reginâ vxore, tres filias, totidemque filios sustulit; quarum secunda Margarita, Fernando Sancij Regis Castulonensis filio locata est; tertiam Catharinam mors prematura innuptam, procis multis præripuit. Mares liberi fuere Ludouicus Hutinus, Philippus Longus, & Carolus Pulcher; qui tres Regnum tenuêre Francorum, seruato naturæ legisq́ ordine; adeò monstratos vix, dum regno fatum præceps auferebat, sine prole masculâ superstite, aut minimè vitali. Tres enim hi reges fratres gradatim, totidem lustris intercidêrunt. Quocirca, lege Salicâ manum præbente, proximus agnatus in solium regium ascendit Philippus Valesius*. Ecce rerum humanarum humanus exitus, mortalium mortales euentus.

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos.

In reges quoq; & summos imperatores ius est, & iudicium apud superos. *Quicunq́ Regno fidit, & magnâ potens dominatur aulâ*, Philippum videat, & prolem, *& leues metuat Deos*, imò non leues, sed plumbeos, & ferreos, in eos, qui dignitate sublimiori, & maiestate freti, cum peccant, grauius peccant; quòd à parentibus clari, obscuri turpitudine suâ redduntur. Iuuenal. Saty. 8.

Si

i frangis virgas, sociorum in sanguine; si te
delectant hebetes, lasso lictore, secures,
incipit ipsorum, contra te, stare parentum
Nobilitas, claramq; facem præferre pudendis.
Omne animi vitium, tantò conspectius in se
crimen habet, quantò maior, qui peccat, habetur.
d tandem lacrymosum, & luctuosum, ex re- improbitate, & Clementi viro probo, illius iditate, in sæuitiam verso, non leuem iacturam essisse. Sed rem mœstissimam silentio vellem oluere. Argumentum negat. Dicam, sed ex o transcribam. Pinedæ fragmentum, ex lib. cap. 24. §. 4. fas sit in latinum vertere sermo- m. *Finito Concilio, ex vrbe Vienna, Burdega- m Clemens Pont. profectus, in itinere, eodem no 1313. obijt. D. Antoninus, Ioannes Villaneus, Papyrius monetæ auidissimum fuisse tradunt; deq; deriuatam existimant, vagantem res sacras endi ac venditandi, eo anno, licentiam. Illorum erò inscitiam valde miror, qui Pont. hanc notam uri vnquam posse negant. Nam ex iure diuino docemur, sacra, & ad mentis expiationem attinen- ia, emptione, ac venditione pacisci, crimen esse le- hale, nec aliud nisi à Simone Mago, Simoniæ no- mine vulgatum. Fateor Pont. etsi diu, ac palam huic noxæ succumbat, pœnis à sanctionibus canoni- cis*

cis impositis non teneri, cum notum sit eundem, & leges condendi nouas, &, si placuerit, veteres rescindendi, facultatem habere; eâq; de caussâ, nullo ab hominibus iure promulgato obstringi Pont. esse fas. Addit Antoninus, rumore crebro dissipatum, per id tempus, Clementem ad venereas illecebras facilem, nec raptim huiusceemodi voluptatulas, in formosis appetere, sed cuiusdam comitis blanditijs deuinctū penè, & irretitum. Nec silentio præterit, quibus facultatibus affines, & consanguineos locupletauerit. Id rarum profectò & mirum, necromantici industriâ, in Tartari cruciatus contemplandos, Pont. clientem presbyterum deportatum, tenebrosissimo eo in specu, Clementis sororis filium, in lectulo ignito, Simonis crimine damnatum reperisse; flammarumq; minantium materia constructum palatium, Clementis Pont. manibus parari fuisse conspicatū. In mentis vsum hominem reuersum, id Pont. indicasse, qui deinceps mœrore paulatim conficiebatur; nec multo post obijsse. Vitâ functum, quâ par erat tanti viri memoriæ, funebri pompâ, in oppido Vsestâ sepeliunt. Attamen Caluini asseclæ, monumētū aureis, & gemmeis donis refertum, anno 1577. funditus vastauere; reliquias, ossa, & quicquid intus conditum, publicè cremarunt. Quo euentu, Templariorum combustionem, parì pœna vindicatam

caisti-

[i]*imo. Hæc scribit Papyrius.* Tædet vltrà pro[...] [...]si. Pulchrum, & Clementem, numen a ter[...] [...]i, ad æthereas sedes proueheat, si æternæ legi [...] [...]lentaneum. Nos & cęteros ortodoxos viros, [...] [...]nes, omnes incolumes velim. Nunc ad alia [...] [...]inat oratio.

CAPVT XIIII.

[G]allis nocumenta, & clades Philippi crimen fundit.

En iterum, ad Horatianum carmen, leges dictę [...] [...]cant.

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.
[P]hilippus nequitiam serit; metunt Galli omnes [...]rumnas. Nudato enim imperio illo potentissi[m]o, tot viris inclytis, & eximijs pietatis, & veræ [f]idei assectis, quid mirum si fidei desertores tu[...] [...] inuadant, euertant, corrumpant. Simulat Gal[l]us pietatem, dum impiè in Templarios i[...] [...] decernit; simulant perfidi religionis orthodoxæ [cu]ltores, sanctimoniæ, & sacrorum librorum cu[r]am non vulgarem, cum vtrumque spurcant, te[r]unt, conculcant. En supplicium par crimini, nec dissi-

dissimile. An Pulcher hæreseos veneno infectus; qui non dissimilem pœnam in ciues statuis? Non equidem, si pelliculam intuearis.

Introrsum turpis, speciosus pelle decorâ,

Si animum rimeris; quid proferes? Taces. Non Augustinus de definit. Hæres. *Hæreticus est, qui pro alicuius temporalis cõmodi, & maximè gloriæ, principatusque sui gratiâ, falsas, ac nouas opiniones gignit, vel sequitur.* En Regem Galliæ, qui Pontifices subdolè, & conditionibus nefarijs, creari sanctè, & decorè posse, opinatur. Intuere optimum imperatorem, qui ciues suos, de religione, & Rep. benemeritos, fictis criminibus, ad infamiam, & necẽ cogit. Rimare piũ, & ortho doxum virum, qui maiorem potestatem Pont. exulare à curiâ Romanâ solicitat. Optimum principem edicito, qui Pont. eximij Bonifacij 8. ossa comburi, acta rescindi, damnari memoriam precatur. Orthodoxum, religiosum, integrum, qui voluerit, liberè existimet. Ego improbum, impium, impurum appellabo. Quibus verò ipse infectus sordibus, easdem in regnum nobilissimum, & ciues egregios fundit.

Galli quidem suopte ingenio, ad opiniones de fide orthodoxâ mutandas, & alias denuò excogitandas semper prompti, & faciles; iam ante Pul-

Pulchri imperium. Quinam in Europâ, fidem sacratissimam violare primum ausi? Galli anno 1212. Mariana, lib. 12. de Rebus Hispaniæ, cap. 1. *Res Hispaniæ pulchrè, & ex sententiâ procedebant, quo tempore Galliæ, atque Aragoniæ Regna mota sunt, initio à Tolosatibus facto. Nouæ de religione opiniones, prauumque de rebus diuinis dissidium, fœdam, ac perniciosam tempestatē concitauit; quâ vtraq; gēs, multis annis, ciuili sanguine cruēta ta est. Non aliud Germanus, ante ea tempora, aliud Hispanus, de Deo, de immortalitate sentiebat; vna erat Franci, & Itali, vna Angli, & Siculi de rebus diuinis sententia, eadē omniū mens, & oratio. Valdenses paullò ante extiterant, praui homines, & nefarij, horū nūc sectatores Albigenses, seu Albienses, ingrata veteribus nomina, Reip. Christianæ pacē, & tranquillitatē inturbarunt.* Sed quid mali è Galliâ, Iudicra fortitan; an lubrica? *Cælestibus patrocinium, Sacerdotibus remittendi peccata, quod maioribus inauditum erat, potestatem detrahentes. Neque in Eucharistiâ, Christi corpus in esse; neque aquā Baptismi, ad expiandū peccata, vim habere existimabant, preces pro mortuis, & vota frustrà suscipi. Dei matrē virginē, voce impurissimâ meretricē dicere soliti sūt, vt Guillelmus Nāgiacus, qui proximo sæculo vixit in Galliâ, testatū reliquit. Christū Deum,*

Deū, turpi consuetudine, cū Magdalenâ iūctū fuisse affirmabāt. Sic Petrus Cistercienſis Monachus, qui vita in historiā cōtulit, Innocentio Pont. dicatā. Lōgū esset ratione inire omniū, quæ insigni procacitate, in vulgus affirmare ausi sunt. Et est mendacium multiplex, simplex natura veritatis. Cernis nè á quâ plagâ teterrima labes, in Europā totā penè sit grassata? Hominū eius tractus id ingeniū, vetera respuere, etsi probatissima; noua quæuis improbissima machinari. Diui autem numen sapiētiā, & prudentiā suâ, in rerum humanarum æquo regimine, cuncta decernens; quoties sceleratos homines maximis afficere, pro maximis criminibus, statuit supplicijs; non alijs carnificibus, quam ipsorummet ingenio, & à naturâ insitæ propensioni excruciandos relinquit. Paul. ad Romanos 1. *Tradidit illos, in desideria cordis eorum.* Iniquum omnino regis, & regni Galli consilium, Templarijs damnatis, quo alio supplicio, vltricem experiretur diuinam iram, nisi in desideria insana illius gentis, tumultuario impetu, omnibus vergentibus, veteri fide desertâ, nouâ perfidiâ cæcutientibus. Ne verò hæc miserrima calamitas, casu nonnullis emersa videretur, aut leuior, quia intestina, & natiua; eodem illo æuo, & incepit hæresεos lues, & aliunde

Gallis

Gallis minari visa. Vix rex de extinguendis Tē plarijs cogitarat, ecce tibi Dulcinus, ex Cisalpinâ Galliâ, Nouariensis de bacchari cœpit. *Hominum cum fœminis solutis, aut alio connubio ligatis, consortium ad libidines, & procacitates, non vitiū, aut facinus, verùm sanctissimi amoris, cuius legibus orthodoxi tenemur, inditium dictitabat. Pont. & Patres illos purpuratos, quibus Romana constat, & exornatur curia, fictos, & vanos præsules esse. Neque enim antistitum dignitate sanctē fungi, qui à Christo seruatore, inculcatam viuendi rationem, in paupertie spontaneâ, & rerum omnium contemptu, minimè amplecterentur. Se verum Christi assectam, Apostolicâ nomenclaturâ, & Sede Romanâ dignissimum asserebat.* Hisce nugulis, & technulis plurimos vtriusque sexus illaqueauit. Omnes, illius ductu, in specus editis montibus abditiores, sese contulēre, & ferino more tandiù durarunt, donec fame pressi, in oppida, & ad veteres artes rediere. Tanti boni repertor, cum coniuge Margaritâ, à Nouariensibus vstulati sunt. Per idem ferè tempus, alio ex latere, Germani in Gallos, hæreseos sordes euomere cæperant, duplici turmâ, alterâ homuncionum, qui Begardi nunc ·pabantur, alterâ meritricularum, quæ Biguinæ dictæ sunt. In festa vtraque cohors religioni, pudicitię,

 morum

morum integritati, imò in eam rabiem, an amenentiam versa, vt igni depascendos, nullâ de eorum ingenio, resipiscendi aliquando spe reliquâ, Clemes in Viennensi Conuentu decreuerit. Hę tunc futuri incendij scintillæ eluxêre, vt ex eo fonte, quatenus Dei Opt. Max. cultus, & inter animi dotes præstantissima pietas, labentes, & miseros homines in pristinum gloriam minime restituerit, quæ regnum illud calamitatibus obruêre, caussas deriuatas, fore duraturas, esset notum. Quàm libere illud Horatianum, ex Od. 6. lib. 3. ad Francos, semel atque iterum retorquebo!

Delicta maiorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris,
Ædesque labentes Deorum, &
Fœda nigro simulacra fumo.

Nil de hoc curarunt posteri, & malum in dies tumescebat, clam equidem, dum spes salutis aliqua cælitibus dicam, an pijs viris, qui preces pro illo imperio funditabant. Tandem totum Galliæ Regnum, totum Regni corpus inficitur, & lues in lucem prodit, anno 1545. Quâ elatione Lutherani sycophantæ, & Zuingliani nebulones, perfidiæ venenum, sordes nequitiæ ausi spargere, inculcare, tueri, armis etiam, & fidâ militum caterua!

terua!

teruâ? Apud Germanos nil actum, si cum Gallorum amentiâ, illos pro doctrinâ, apud se natâ dissentientes conferas. Ad arces, & munita oppida, perditissimorum hominum, & fœminarum numerosam turbam deportant; vnam, & alteram viuendi normam instituunt; inuitos, spõtaneos; eruditos, ignaros; è curiâ alios, alios è triuio; in opinionem, blanditijs, flagitijs; ære, ferro; voluptate, seueritate rapiunt, regni machinantur ruinã, minantur proceribus, regem spernunt. Resedit tunc, diuini numinis beneficio, incendium, nec extingui, vetante mortalium versutiâ, potuit. Denique paullò post pestis, quæ latebat, multò acrius erupit, eodem illo quo, quo morbi caussam purgare, Patres, in Concilio Tridentino nitebãtur, anno 1562. Heu humanam conditionem, & rerum mortalium incõstantiam! Intrepide Hugo, à quo Hugones, vel Hugonotes Galli hæretici solent appellari, Theodorus Beza elatè, impiè procerum manus, non vt anteà clam, ad oppidula, & specus, industriâ, & calliditate, ad vrbes nobilissimas, & regiam illam notissimam Parisios occupandam palàm, minis, imperio, auctoritate tendunt. Regibus Francisco, & Carolo Nono (en *filij dedecore*, neque enim ab hoc nomine abest proles regia) gladios intentant, imperij

iacturam, famem, vincula, calamitates. Stupent omnes, omnia pauore concutiuntur; nemo est qui fidem fide colat, aut humanam, aut diuinam. Inde totius Galliæ maiestas,& potestas collapsa, in eum, quem experimur, ærumnarum statum deuenit. Buccinate,inclamate,iterum, atque iterum,pro regni funere.

Quicquid delirant reges,plectuntur Achiui. Ex illo iræ,odij,auaritiæ, elationis, in Philippo Pulchro repertæ, cumulo, hæc seges, hi fœtus. Nec irā solùm,aut elationē dicas,quę regni opulētissimi pietatē euertit. Impietas fuit,in quam cū reges deflectunt,regna defluunt. Nō aliam,hanc Philippi pertinaciam,supplicio penso, & ratione ab effectu ductâ, noxam existimare possum, si cum Lipsio,ad trutinam voco,lib.1.de Exemplis Politicis,cap.4. *Deflexio altera impietas, siue irreligio, si ἀσέβειαν Græcorum sic licet vertere. Grande,& vt sic dicam,malorum malum, cùm homo à ratione,imò à naturâ abiit, cōtemptor numinis,aut negator,quod illa asseruit,& hæc insenuit. Eò venire solet, siue à superbiâ quâdam, & rudi ferociâ;siue à vitiorum magnitudine, & cumulo, quæ animum manciparunt. Deo enim tum se subtrahet, & ne illum timeat, spernit. Item quæ præmia omnia futura, aut pœnas. Infelices hi tales! etiam in*

exter-

externis rebus, successibusque quia desertores sui Deus deserit, nec cadunt solùm turpiter sæpe, sed ruunt. Cecidit, ruit, perijt maiestas Gallorum, Quo crimine implicata? Hac in Templa Iosim-pietate accusante. Opes, & aurei, è sacrâ familiâ, per scelus, & iniuriam rapti damnant. Quod vnum, etsi cæteris conniueret, imperij iacturâ, crimen Deus vlciscitur. E vetustate exemplum petamus. Verba meus Belga ministrabit; lib. cit. 2. cap. *Phocenses in Græciâ, cum Delphico templo præ essent, bello impliciti, thesauros eius Dei veteres, & famâ celebres tangere ausi, & mutui titulo, quid nisi spoliare? Ea res in odio, & exsecratione omnium cum esset, solus Philippus Macedo, non iram, sed vindictam etiam, & arma sumpsit. Contra sumunt Phocenses, Onomarcho quodam duce; & iuncti exercitus, & prælio instruuntur. Ibi Philippus, pulcherrimo astu, suos omnes lauro coronari iussit (sacræ Apollini eæ frondes) atque ita velut Deo dicatum exercitum, manus conserere. Factum est alacriter, & feliciter, cum Phocenses, ipsis insignibus violati numinis conspectis, in fugam, consternati, armis abiectis, abeunt, & temeratæ religionis pœnas, multo sanguine pendunt.* En diuitiæ raptæ, & religionis contemptus Phocenses, vindice saltem Rege inclyto Philippo, euertunt. Ecce

Gallos raptæ diuitiæ, & contemptus religionis, impijssimis perfidiæ assectis, quod calamitosius, vltoribus, perdunt, labefactant, concidunt.

CAPVT XV.

Progressio ad Lusitanos.

Lusitanorũ gloria Ioannes Secundus, pulchrior quidem Pulchro, Philippo Gallo comes, in meo Cholobulemanactio datur. Viguit Lusitan⁹, maximis animi, & corporis dotibus, quibus & superstes, Principis omnibus numeris absoluti nomẽclaturam peculiarem sibi fecit, antonomasiæ iure, & vitâ functus, qui in album Diuorum referatur, dignus à pluribus inclamatur. Defuit tanto regi, quod olim Alexandro calamitosum etiam accidit, qui nempè stilo compto, & veri curâ habitâ, illius actiones elucidaret. Vexillifer Resendius, resina, & veneto luto pigrior, in hunc campum multos eduxit, nec omnes inertes, ad munus capessendum. Antonius Vasconcellius vir Theologus de Societate Iesu, moribus candidus, clarus natalibus, inter cæteros industrius, & concinnus, vt ita sentirem, suasit lectus & perlectus. Addo, ne piaculo egeam, si Vasconcelij opus

opus illud,ex ſtili enim diſcrimine, plures ipſis Anacephalæoſibus auctores licet conijcere, accedat grex auium, ad hanc corniculam; furtiuis nudata coloribus,alijs riſum, contemptum alijs, implumis, imò nihil, mouebit. Peccarunt tamen omnes ductantis vitio, cuius is ſtupor, vt inſtar torpedinis,vel ſemel elumbes illas fabellas lectitanti, craſsitiem mentis, ingenij hebetudinem, meras tenebras occultâ vi communicauerit. Suaſum omnibus,indecorum vera pandere, cùm ad Ioannis imperium diuertêre. Neque enim fas tantum principem,aliquibus næuis conſperſum, vel ex adoleſcentiæ ſtimulis,vel ex ingenij temperamento, garrire exiſtimant. Alia mihi de hac re ſententia. Quod optimum in Ioanne, ſi eius hiſtoriam meditarer, ſine lenocio, in lucem darem. At verò quicquid indecorum,aut ſæuum, fuco etiam poſthabito, propalarem. Regem præſtantiſsimum appellant bardi hiſtoriographi. Ego ſanè nec regem arbitror liberis imperantem, nec liberum regi obſequentem, in turpitudinis labeculas, odij, & timoris ſordes,prolapſum. Mancipium dico vile,& ſcuticâ dignum. Plaudit Claudianus de 4. Conſul. Honorij.

Tu licet extremos latè dominere per Indos;
Te medus, te mollis Arabs, te Seres adorent;
Si metuis, si praua cupis, si duceris irâ,
Seruitij patiere iugum. Tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia iure tenebis,
Cum poteris rex esse tui. Proclinior vsus
In peiora datur, suadetq; licentia luxum,
Illecebrisq; effrœna fauet. Tunc viuere castè
Asperius, cũ prompta Venus. Tũc durius iræ
Cõsulimus, cũ pœna patet. Sed cõprime motus;
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Occurat, mentemq; domet respectus honesti.

Nõnunquam à vitiorum fæce, pulchrior virtuti species redditur. Neque id turpe(ne turpem existimes Ioannem, si quid extra fas, & æquum, cupijt, odit, metuit) imò honestissimum, virtute in dies, cum ætate, in sublimiora tendente, quod naturæ vitio prauum corrigere. Stoicorum splẽdor Seneca præstantiorem testatur esse habendum; qui noxijs propensus, ad optima vertitur, eo, qui suopte ingenio in virtutem fertur. Carpe auream sententiam, ex Epis. 52. *Itáque ego illum feliciorem dixerim, qui nihil negotij secum habuit. Hunc quidem de se melius meruisse, qui malignitatem naturæ suæ vicit, & ad sapientiam se non perduxit, sed extraxit.* Plurima in Ioanne, egregia

fateor,

fateor, lubens veneror, extollo, commendo; sed quædam errata prodam, quò clarior ob resipiscentiam gloria eluceat. Prudentior historiographis, hac in parte, Iacobus Ortizius Visensis Antistes, regi ab arcanis expiandis. Nam vt Vasconcellius, in Anacephalæosi 16. refert. *Ioannem, si peccator esset, æquè peccatorum pœnitere*, pro encomio dictabat. Veri igitur apprimè tenax, simultates inter Ioannem, & Brigantinos proceres delineabo, eo animo, vt Fernandi Ducis, nomine Secundi, à rege capite damnati fides, & integritas perspicuè pateat. Ex illâ enim caussâ, nō ex hominis peccato aliquo, supplicium dimanasse, pro virili differam. Non inficiatur Resendius Ioannis effrænem, odio stimulante, impetum. Ex eo edixito plures de plebe, à rege, per sicarios, interfectos; Cardinalem Georgium Costã, virum prudentissimum, & prædignitate, qua fulgebat, á regibus etiam maximè colendum, si non manu, minis saltem, & conuitijs, ense durioribus, ad spontaneum exilium ad actum; Visensem Ducem, Eleonoræ Reginæ fratrem germanum, Ioannis ipsius patruelem, regis dexterâ interemptum, aliaque huius notæ facinora. Verùm hæcce, inter animi ornamenta, recenset optimus ille Annalographus. Quâ audaciá dubias

reddit, veras regis sui virtutes. Quam scitè hùc martialis, ad patrocinium, lib. 12. Epig. 81. si pro viris, actiones vsurpes.

Ne laudet dignos, laudat Callistratus omnes;
Cui malus est nemo, quis bonus esse potest?

Si qui tamen plebeculæ, quæ Ioannem in figulis optimum prædicat, studiosiores, veriqúe impatientes, in hoc opusculum inciderint, monitos velim, nil minus mihi pro scopo, quam ab eâ opinione, eos dimouere. Existiment, quod olim Augustino Hieronymus obiecit, Tom. 2. in Epistolà ad eundem: *Puerilis esse iactantiæ, quod adolescentes quondàm facere consueuerant, accusando illustres viros, suo nomini famam quærere.* Cæteris ingenio, rerum notitiâ, & prudentiâ claris laborem dico, & edico ab vno fonte norint, in hos vortices Regem Lusitanum prolapsum, sui nempè iudicij tenacitate, & Consiliariorum cõtemptu. Nullus in hoc numero, qui sæpius non decidat. Illud Marci Principis diuinum Lipsius dicit, á Capitolini opusculo mutuatum, in 4. Ciuilis Doct. cap. 8. *Æquius est, vt ego tot, taliumque amicorum consilium sequar, quâm tot, talesque amici, meam vnius voluntatem.* Nimis acutos, malos, & ineptos reges palàm fatetur. Firmat sententiam exemplis, & caussis: *Vide Clementem Septimum Pont.*

Pont. Miram ei ingenij vim omnes tribuunt; sed in actionibus, consilijsque quam infelix? Roma scit, & nunc etiam dolet. In populis ipsis hoc notabis. Quis nescit Athenienses, ante Spartanos; Florentinos, ante Venetos, ingenio, & acrimoniâ fuisse? Melius tamen, constantiusque hos Remp. suam direxisse omnes videmus. Caussæ huius rei tres. Prima, quam in textu libaui, quod velocia ista ingenia semper mouent aliquid, & nec quieta, quieta sinunt. Altera, quod in multiplici inuentione, & rationũ copiâ pleriq; natant, & ægrè expediunt aliquid, cui insistant. Tertia, quod ea sibi proponunt, quæ nõ sunt nõ erunt; & mentẽ, consiliaq; aduersarij æstimant à subtili suâ mente. Plura huius saporis ex nostro Belgâ, in notis, ad cap. 4. lib. 3. Politic. vnde hæc transcripsi, excerpes, si vacat.

Sed quid externis egemus exemplis? In ipsâ Hispania, pro hoc argumẽto, multa vnus Alfonsus Sapiens, Decimus Castellæ Rex, præfert. Mariana recenset, à cap. 9. lib. 13. ad cap. 7. lib. 14. Sententias ex priori, & vltimo cap. carpo. *Sapientis cognomen, quod litteræ pepererunt, aut inimicorum iniuria, aut temporis iniquitas, aut ipsa ingenij secordia labefactasse videtur; eâ sapientiæ opinione, vix sibi cauere, sapereque doctus.* Finit in hanc exclamationem: *Maximus, & prudentissimus*

mus rex, si sibi sapere didicisset. Nocuit hæc pertinacia Ioanni, & sępè alijs in negotijs, & maximè in Fernandi Ducis libertate ingenuâ, perfidiæ turpis nomine, coercendâ. Quid in hac parte actitatum, ab amore, & odio penitus alienus referam. Mox ad suasionem ingeram aliquas argutias. Vtrumque pro veri, celandis forsitan caussis, hactenus sepulti, ad lucem extrahendi curâ.

CAPVT XVI.

Ducis Fernandi natalitia, mores, & potentia describitur.

Hæc nostra, & peculiaria, nec temporis intervallo adeò distantia. Hic licet spatiari, immorari libet. Neqne enim fabellis similia, sed politioris vitæ arcana, certissimis indicijs propalata, oratione prosequemnr. Facem præferre historiæ, ex ipsâ Fernandi Ducis notitiâ, est in animo.

Ioannes, nomine Primus Lusitaniæ Rex, ante nuptias, ex Agnete nobili virgine, quæ postea Parthenonis Vlyssiponensis, cui nomen est à Sanctis, fuit Antistita, genuit Alfonsum. Hicce matrimonio, cum Beatrice Pereyrâ, filiâ vnicâ

cele-

celeberrimi illius Nonij Aluarij Pereyræ, Ourenſis Dynaſtæ, in Portugalliâ equitum Magiſtri, vulgò à ſtabulo Comitis, hærede, in tantâ fortunâ, à patre inſtitutâ iunctus eſt. Poſt nuptias, Brigantiæ Dux, quo honore nemo anteà cohoneſtari obtinuerat, eſt declaratus. Ex coniuge Beatrice, duobus liberis augetur. Qui prior editus, Alfonſus nomine, dignitate Marchio Valentiæ, nullo filio legitimo relicto obijt. Secundus Fernandus eſt nuncupatus, Villæ Viciosæ Marchio, Comeſque Arrayolenſis, patre adhuc, & fratre ſuperſtitibus; hoc verò poſt illum, vitâ functô, ad parentis dignitatem, & facultates, hæreditario iure euehitur. Filios habuit plures, natu maiorem Fernandum, de quo nobis ſermo, qui quidem omnium primus, in eâ familiâ, patre vitales carpente auras, Dux Guimaranij eſt dictus, quo deinde nomine Brigantinorum Ducum filij, naſcendi ordine priores, ſunt potiti. Secundum Ioannem, Comitem ſtabuli Portugalliæ, Marchionem Montis Maioris. Tertium Alfonſum Faronenſem Dynaſtam, qui titulus, auctore Emmanuele Rege, in Demirenſem eſt mutatus. Quartum Aluarum Oliuentiæ Comitem, Cancellarium maximum Luſitaniæ, & tribunalium iuriſdicundi Præſidem. Filias genuit

Bea-

Beatricem, quæ in matrimonium locata fuit Petro Menesio, qui primus Villæ Regalis Marchio à Ioanne Secundo est creatus. Guiomaram, sacro connubio, Henrico Menesio Loulensi Comiti, Arzilæ, & Tingi arcibus Præfecto iunctam. Catharinam, sponsalibus ceremonijs, Ioanni Marialuensi Dynastæ addictam. Hæc à maioribus accepta, in Fernando Duce reperiebatur claritudo.

Potentia, tot procerum nominibus, quibus familia illa ornabatur, non inferior. Sub suâ ditione, centum hominum millia cōtinebat. Ad quinquaginta oppida, ciuium multitudine, nomine commercij, opum abundantiâ notissima, illius imperio obsequebantur. Preterea in regijs vrbibus, & prouentus vberrimos percipiebat, & munerum publicorum honestissimis decorabatur.

In homine plura alia naturæ dona, arte, & cōsuetudine, mirū immodū exaucta eminebāt; mirabilis prudētia; virtus, & dexteritas maxima, ad militaria, atque etiam imperatoria munia obeunda, quibus & in pugnâ Taurensi, & in Libycis excursionibus magnam gloriam est adeptus, famamq; veterum, qui hac laude clarissimi viguêre parem; sedulitas, & liberalitas regia, pro regum cultu, dummodo ab eis non dissimilia amoris indicia,

dicia, aut acciperet, aut exigeret; Brigantinæ familiæ, & cæterorum regni procerum, quibus Lusitaniæ incolumitas, & gloria nitebatur, splendoris tuendi sollicitudo non vulgaris; in vultu speciosa serenitas, in verbis tranquillitas secura, maiestas singularis in incessu; quibus maxime à proceribus, amorem, & cultum extorquebat. Nec ad id opis minus, auersus à Fernando, regis animus, omnibus iam notus, conduxerat. Iniuria enim, nullâ accipientis noxâ promerente, illata gratiorem, qui contra ius patitur, ipsis etiam hostibus reddit. Addebat in omnium opinione multum ad cultus caussam, fratrum numerus, & copia propinquorum, è quorum viribus, sibi totius regni, in quo secundus à rege erat, potentiam, & imperium quodammodo vendicabat. Eâ tempestate Duci Fernando splendorem maximum attulerat vxor Isabella, Reginæ Lusitanæ soror, Infantium Fernandi, & Beatricis filia. Hoc affinatis nexu, socrum prudentiæ singularis, & ore omnium probatissimam fœminam, eiusdemque natos Iacobum, & Emmanuelem, quos etsi meritis, & dignitate æquales, longè dissimilis fortuna, ad diuersa extraxit, sibi copulauerat.

CAPVT

CAPVT XVII.

Ioannis Regis, in Brigantinos proceres odium expenditur.

Nullus penè est mentis compos, qui de rebus Lusitaniæ sermonem faciat, & ad hanc ætatem delatus, quam notum cūctis fermè orbis nationibus, Ioannis, & superstite, & vitâ functo patre in Brigantinos odium, non expendat. Alfonsus sanè Ioannis parens, paucos antequam obiret dies, nil aliud meditabatur, quam regni, procerumq; atq; vrbium legatorum consensu, imperio, Ioanni cedere; postea vero priuatam, in secessu tranquillo, Cœnobij Francisco sacri (Varatogium nostri appellant) quod in hanc rem, non longe à Turribus Veteribus, nomen id oppido, crexerat, vitam degere. Inde suâ auctoritate, & vitæ religiosioris opinione, discordias inter Principem Ioannem, & Brigantinos Dynastas exortas sedare, aut etiam, si posset, omnino delere (his ferè verbis vtitur Pina, suis in Annalibus) ne è vitâ hac, maximæ impendentis regno calamitatis suspicione, discederet. *Iam enim palàm Alfonsus coniecturâ assecutus*, inquit Zurita,

Zurita, *fore vt cum primum fatis concederet, simultatum caussa, inter Ioannem filium, & ducem Fernandum, sequestro deficiente, quid ærumnarum, in Lusitanorum perniciem pararet. Eo enim in tandem rem odium, & amor ferebatur, affectus amoris in Brigantinis, odij saustia in Ioanne, erga Castellæ reges.* Nam licet hanc animi ægritudinem dissimulare Princeps, industriâ maximâ conaretur, tanta dissidij erat vis, vt se ipsam palā Ioanne renuente, sæpissime proderet. Alfonsus Brigantinum Ducem, & cultu, & amore feruentissimo prosequebatur. Prespexerat enim non semel testis oculatus, illius familiæ fidem, atque virtutem, eorumque procerum auctoritatem, & regio parum dissimilem splendorem, Lusitanis regibus decus potius, & ornamentum, quam molestias, & solitudinem addere. Nam etsi Brigantinorum fastus, & amplitudo, principum in eis esse animos indicaret, fides tamen, & obsequium, ciues, cæteris vel pares, vel ad regis dicto parendum promptiores fatebatur. Illorum spes, intra hos limites coerceri Alfonso erat perspicuum. At Ioannes, ex hac parentis, erga Brigantinos opinione, amoreque tot Indicis patefacto, argumenta, in simultates, cum clarissimâ familiâ, exercendas desumebat. In hisce inuestigandis

diuersæ erant hominum sententiæ. Qui rem pru-
dentiæ singularis facere nitantur, in Brigantinam
familiam, multo ante Ducis Fernandi æuum, si-
multatis caussas Ioanni inditas asserunt. Alfonsi
enim, Ducis aui, industriâ Infantem Petrum,
Alfonsi Regis, nostri Ioannis parentis, patruum:
ipsius verò Ioannis auum maternum occisum,
Fernandi Primi Brigantini Ducis, Fernandi II, de
quo nobis sermo, patris consilio, belli in Castel-
læ Reges Fernandum, & Isabellam, cupidissimos
Lusitanorum animos, ab eo ardore reuocatos,
Ioanni notum existimant. Mox ipse semel atque
iterum, superstite, & emortuo patre, regni mo-
deramine suscepto, Ducis Fernandi prudentiam,
liberam libertatemque prudentem expertus, vt-
pote inter eos enutritus, qui vile obsequium ho-
nestati præferre semper consueuerant, illum
splendorem, cæcutientibus oculis sustinere non
valuit.

Hæc dilucidius, vt pateant, euentus ipsos refe-
ramus vsque temporis, in quo maxima præspi-
regimis ratio habeatur, à Petri Infantis cæde in-
faustum mutuale exordium. Eduardus Rex Lu-
sitaniæ, Ioannis Primi filius, Alfonsi verè Regi-
s pregist, iuuenis obijt, natumque tenerrimum ad-
huc, sub custodiâ, & tutelâ fratris sui Petri Infan-

ti

tis nutriri, testamento piè admodum, & prudenter condito voluit. Petrus post fratris obitum, regni moderamini, communi omnium applausu exceptus, etsi inuitus, & penè coactus, hanc curam susceperit, prudentiâ non vulgari incumbebat. Verùm ne defuncti fratris memoriam, vllâ in re depofuisse videretur, Alfonsum vix pubertatem egressum, ad Isabellæ filiæ nuptias, ex Regis Eduardi, qui fratrem regijs virtutibus ornatissimum vnicè amabat, vltimis in tabulis decreto, suasit, & perduxit. Attamen Alfonsus Petri, ex Ioanne Primo parente frater, ex aliâ enim fœminâ, vt suprà retuli, ante genitoris connubium fuerat editus, Barcellensis quondam Comes, & iam Dux Brigantinus, cum Petrum fratrem sibi prælatum, duplici caussâ, & ex regni moderamine, in comitijs publicis, ritè illi commisso, & ex filiæ cum rege coniugio, in ipsius odium, vt fit in maiores, ex insitâ nobis cupiditate, & curâ, nos qualibet ratione deprimendi, qui vel natalitijs, vel ætate pares, dignitate excellere iniquè patimur, paullatim se se concitauit. Licet verò hicce dexteræ in fratrem fortunæ stimuli Ducem Brigantinum illi hostem obarmarent, alio vsus est prætextu, vt hominē de Rep. benemeritum, per fas, nefasque exagitaret.

In hoc negotium prætendit maximam sibi iniuriam inferri à rege, qui neptē suam Isabellam ex Ioanne Infante, & Isabella Infantis vxore ipsius Ducis filia ortam (quæ paullò post in matrimonium locata Castellæ Regi Ioanni Secundo est, cui filiam immortali nomine cohonestandam, Reginam Castellæ, & Aragoniæ Isabellam peperit) eo honore non affecerat. Huic à se commentæ iniuriæ, alias, atque alias alienatæ voluntatis caussas, quibus maximè torquebatur, ad lucra, & prouentus spectantes, atque obid, ad generis obliuionem parandam, & sanguinis iura abolenda, aptissimas addidit.

Vitā functo Petro Ioannis Infantis, & Isabellæ Brigātini Ducis Alfonsi filiæ sobole, dignitas Comitis stabuli vacauerat sub imperium Petri Moderatoris. Candidati tanti honoris se professi illicò Petrus, Moderatoris Infātis proles prima, & Alfonsus Ourensis Comes, Alfonsi Ducis filius natu maior, Comes, pro iure suo, acriter nepotem se illius eximij Comitis stabuli Nonij Aluarij Pereyræ commemorabat; deinde alios; in hoc munus obtinendum, non vanos omninò titulos recensebat. Attamen Infans Moderator, cū recto examine perpenderet, quibus Comes, pro dignitate adipiscendā vtebatur, rationes; mu-

neris

neris de quo certabatur concessionem, ad regem libere spectare præfatus, eo filium Petrum cohonestauit. Hac iniuriâ Ourensis irritatus, & regimini Infantis valdè infensus, ab aulâ discessit. Interim Dux Brigantinus, obliteratis omnino sanguinis, & beneficiorum, quibus in fratrem obstringebatur, necessitudinibus, odij, quod inter maximé propinquos, miserabilioris iacturæ radix esse solet, altius concepti vltionem parare cœpit. Primò igitur consuetudine veteri, aut ardentioris amicitiæ vinculis deuinctos, præcipuè Vascum Fernandium Cottignium Primum Marialuensem Comitem; Petrum Norogniam Antistitem Vlyssipponensem; Sancium Norogniam Antistitis fratrem; ac deniq; Nonium Goensem Priorem militiæ D. Ioannis, in Hierosolymitani Xenodochij obsequium sacræ, apud Lusitanos, in fœdus, ac societatem, mirâ sedulitate sibi asciuit. Omnes hi viri summæ auctoritatis, & nominis in Portugalliâ, ad comitia itantes, de regni commodo esse dixerunt, vt Infans Petrus, mode ramine, & regiâ tutelâ, Reginæ Eleonoræ, ipsius Regis Alfonsi matri, quod vnice fœmina hæc, ad maiora nata, etiam armorum vi, & sanguinis pro fluuio, si fuisset opus, extorquêre optabat (vt constat ex Roterici Pinæ, Alfonsi Regis historiogra

phi diligentissimi scriptis) cederet. Id difficile primum est visum, tandem inanis conatus decidit; in eam rem cunctis oppidorum curatoribus acriter incumbentibus, vt cura regni ex integro Petro Principi cordatissimo, cum liberâ habenas imperij flectendi, administrandique singula, potestate, rursum committeretur. Interim reginæ ambitione sedatâ, parum purgatam regis adolescentis aurem assiduè personabant, vanis terriculamentis, optimorum ruinam suadendo. Rex eâ in ætate hisce Consiliarijs (qui venenum lethiferum spargere fonti splendidiori, vnde tota Resp. ebibit, facilè solent) pressus, ficta in multos crimina, nullo prævio indicio, aut æquo examine auscultabat. Succedente in dies fraude, iam palàm in Petrum Moderatorem conspirantes, hominem apud regem, ambitionis minimè ferendæ, atque adeo perfidiæ insimulant, fretumque; communi plebis applausu, & aliquorum ex prioribus amicitiâ, ad tyrannidem aspirare asserunt; virus denique odij, quod dudum alebant, adeo festinanter, ac vafrè in Alfonsum ebullinnt, vt iam pro certo existimaret, viuente Petro, se minimè posse diu regno potiri. Rumor huiuscemodi sparsus, etsi facile rimanti technas coniuratorum, falsus haberi poterat, suspectum regi adolescenti socerum

rum virum integerrimum reddidit. At verò cum regni amittendi periculum, consilium, & moram quamcunque, aut ignauiæ, aut imprudentiæ notâ inficiat, nullumque aliud curarum laxamentum, quàm in vna inuidentis nece reperiat, in Petri cædem, cuius præterea magna auctoritas, & virtus numeris omnibus absoluta, ingrata admodum regi, vix à nucibus abstinenti, semper extiterat, toto animo inclinauit.

Ad officij caussam, accessio meritorum, in regis ipsius tutelâ, & regni optimo moderatione, materiam non vanam adiecit. Cernebat se vndique ingentibus Petri meritis obstrictum; quæ dum in principum commoda officiose comparantur, grata sunt; cum verò beneficijs reddendis gratiæ occasio instat, sæpissime insatiabile odium, potentum in pectore excitant. Hoc assiduè animi dies assiduum acrius pungente, eò tandem Alfonsus deuenit, vt exercitum in illius [illegible] in patruum, curatorem, ac socerum, per maximum fidissimi pectoris dedecus, & ignominiam, in hostem veluti perniciosissimum educeret.

Infans Petrus huius rei conscius, Conimbricâ, Vysi partem, eiusque per id tempus domicilium rectà contendit, vt se ab omni labe purgaret, regemque meritis, in augenda ipsius dignitate, huno-
[illegible] ris,

nis, ac laborum pro eâdem caussâ asiduè, & maximècum discrimine susceptorum, corám certiorem faceret. Alfonsus obuiam egressus patruo, bellicis instrumentis septus, & fidissimâ hominum, ad triginta millia, cateruâ stipatus, propè flumium Alferrobeiriam, insontem, paucis aliquot clientibus, & amicis frustrà repugnantem, neque enim tale quid vnquam præsagierat, Petrum inuasit, facileque in fugam, qui obsistere conabantur, versis, tantum virum, sanguine sibi, & euidentissimis amoris signis, atque meritorum cumulo iunctum, collatis, vt in Libycum, aut Scytham Mahometi rituum asseclas, signis obtruncat.

More in prælijs solito, victoria est excepta, & iucunditate maximâ, atque hilaritate encomijs pluribus patefactâ in cælum lata. Tres integros dies in loco congressus victor est moratus, quibus solis fulgor nitidior, exclamitate Infantis, extremo etiam sepulturæ honore, inter barbaras nationes, infestissimis hostibus raro denegato carentis, lætitiam, & voluptatem, inuidorum oculis fundere videbatur. Æmuli principis enecti, his adhuc parum, aut nihil placati, vt palpationis cumulum attingerent, regi suasere, è re maximè fore, si Vlyssiponem, triumphali habitu ingrederetur. Placuit consilium, eoque vsus Alfonsus,

sus, spolia suæ amentiæ omnibus palam fecit. Moderatoris cædes, etsi plurimi, intra priuatos parietes, funestis nænijs, & lacrymis vberrimis, Lusitaniæ Infanti optimo parentarent, ab omnibus in publicis conuentibus, inter eximias regni felicitates est recensita; metus enim, & adulatio frontibus facilè, temporis illius læti colores iucundos inducebat.

Sunt qui existiment Petri fidem ancipitem, de hominis elatione querantur, atque adeò ii o esse ferant, ab eo exercitum parari in regē, quod in ciue apertum animi ad altiora aspirantis inditium esse solet, & cæcâ quâ iam temeritate patratur. Attamen id liquido constat, illius necem, præmium fuisse, à principibus, pluribus beneficijs, obstrictis dari solitum.

Hisce de Infantis Petri calamitate delibatis, ad bellum, imbelles, cum Regibus Fernando, & Isabellâ susceptum, non telis, sed calamis tuti, gradum faciamus.

Henricus Castellæ Rex, vxorem habuit Ioannam Alfonsi Lusitaniæ Regis sororem. Filiam, eodem quo mater nomine, cui succedentis temporis audacia tot parentes, quot vnicuique hominum consentaneæ offerebantur in negotiationes, tribuit, naturæ concedens, regni, li-

instituit. Rex cum Ioanne Principe Estremotij morabatur, cum Henrici testamentum est allatum, cuius auctoritate, à Castellæ Rege filia legitima declarabatur, & regni hæres; curâ interim moderationis Alfonso demandatâ, quem ad Ioanæ nuptias, iisdem in tabulis, verbis amore, & officiorum melle plenis inuitabat. Idem ab Alfonso, enixè contenderunt plurimi Hispaniæ primores; qui vno ore, vt suis commodis inseruirent, aut odijs, ex simultatibus altius conceptis, vltione non difficilè sumptâ, externo rege imperante, indulgerent, sub communis pacis prætextu, Lusitano, syngraphis etiam datis, nomine, & sigillo cuiusque cum inuitantis munitis, quibus & se supplices clientes fore, & oppidorum, atque arcium, quibus præerant, bona fide claues tradituros pollicebantur, regnum offerebant; si eum sororis filiâ, matrimonij vinculum copularet. Henricus, eodem testamento, à regni hæreditate, atque adeò successione excludebat Isabellam, ex patre sororem, in matrimonium Fernando Trinacriæ Regi, maiori natu, ex Aragoniæ Regis filijs, ac parenti successuro locatam; ad quam iure hæreditario tanta fortuna spectabat. Res maiestatis, & honoris facibus illustrata, Lusitanorum animos ab insito ingenio, negotijs maximi ponderi

pr

pronos, acti stimulo ad hanc expeditionem incitauit. Alfonsus imperij Castellæ occupandi cupidissimus, rem iam cum amicis deliberatam, in publicum Consiliariorum cœtum, magis ambitiose, quàm prudenter detulit. Diuersæ, in concilio dictæ sententiæ. Nam, etsi plures magistratuum, & imperiorum, in hac perturbatione, occasionem captantes, regi eo, vt adulatio hac quoq; dissimulatione grauior fieret, maximè culpauissent, quod ab itinere adhuc se cohiberet, in quo, & tot ornamentorum titulos, & regiæ dignitatis in Remp. debitam curam verti affirmabant, non defuêre tamen, qui expeditionem nequaquàm capessendam, graui oratione, suaderent.

In hanc sententiam inclinantibus, ad expromendum quid commodius existimarent, fiduciã præbuit, in eandem ante alios deflectens Brigantinus Dux Fernandus Primus, pater patriæ optimus, in cuius virtute experientiaque [illegible] reges qui cum de rebus difficillimis sæpe consulebant, animum ab omni prorsus fraude alienum, & veritatis tenacissimum, præter alias plerasq; dotes, quibus meritissimè exornabatur, semper fuerant experti. Ea igitur rationum vi, & verborum elegantiâ Brigantinus, [illegible] homuncionum sententiam euertere est conatus, vt Prin-

ceps

ceps Ioannes in animum induxerit, id Duci Fernando maxime placuisse, ex propinquitatis cū Catholicis Regibus vinculo, vt Trinacriæ Reginæ Isabellæ, Ducis ipsius sororis, neptis, ius, ac dignitatem tueretur, ab eo bello Rege Alfonso omnino alienato. Certè hæc principis opinio, non multos post annos, Brigantinæ familiæ, maximam nominis, & dignitatis jacturam de quâ disserimus, est machinata. Verùm Dux Fernandus, vtilitatis publicæ studiosus, Regisque Alfonsi, quem vnicè colebat, veris, ac semper duraturis commodis intentus, qui de hac re sentiret, rogatus, in hunc modū respondit: *Eosdem illos Castellæ proceres, à quibus in regni spem inuitabatur, & Ioannæ Principis dignitatem tueri egregiè simulabant, infidos veluti & proditores regiæ maiestatis, Henricum Regem, cuius obsequio, tot sacramentis tenebantur, à regni moderamine remouisse, ineptum*

ineptum ad id munus asserentes. Quo immanitatis exemplo, à sese, in reges fidem, & obsequij iura penitus violata longè proiecisse; præcipuè cum nulli rei omnino, præterquam suis commodis fouendis, aut simultatum caussis vindicandis, animum intenderent; in quem conatum, non à fide & constantiâ, verum ab vnâ vtilitatis spe, stimulos, & ornamentum desumere. Viros prudentissimos, & plures numero, ac potentiâ clariores, plebis quæ Reginam Isabellam inclamabat, voluntati maximè obsequentes se præstare. Hos confusæ multitudinis clamores, in regni

initijs

initijs plurimum prodesse, vt candidatus, etsi cæteris auxilijs, atque etiam iure destituti, ad imperium euehérentur. Addidit inveterato odio, nunquam Castellæ genti, cum Lusitanis inita cõmercia, ex animo placuisse, atq; adeo minime durare posse; periculosumque maximè fore, si Portugalliæ tranquillitatem auream, auræ leuissimæ turbæ liberorum commisceret. Tandẽ in memoriam regi reuocauit, ab eodem, has nuptias, superstite adhuc Henrico, easq; non leni à cura, atq; plurimis amoris signis paciscendo, vt pote & sibi & filio inutiles repudiatas. Tum verò cum ad
illud

*illud matrimonium iterum incli-
naret, uniuerso orbi (in cuius thea
tro facile principum actiones, sini-
stris interpretationibus damnan-
tur) occasionem offerre, vt hoc
bellum iniquum veluti, & contra
fas susceptum, in odij iamdiu pec-
tore latentis indulgentiam, indici
putarent. Præstare Ioanni ad
regni spem ius, prudentia occuli,
quàm infamia vulgari. Finem fe-
cit regem obnixè obsecrans, inter
tabulas publicas, hanc suam sen-
tentiam asseruari iuberet, vt poste
ris animi sui integritas pateret, &
quàm aptum consilium hoc foret,
rei euentu omnibus cōstaret. Præ-*
terea

terea sibi liceret est precatus, in aliquo Castellæ oppido, citatissimos, qui ad velocitatem mutarentur, equos, in sui, ac regis, cum necessitas vitæ conseruãdæ vrgeret, salutem, ac decus tuẽdum habere.
Ducis prudentia, etsi multis alijs commendari maxime solet, hinc sane liquet, quàm singularis extiterit, cum ea omnia vnus in medium afferret apud Consiliarios, quæ postea nostrorum calamitas est testata. Nec virtus prudentiæ defuit, vt ea intrepide enunciaret, quæ licet parum grata auscultantibus, vtilissima tamen fore iudicauit. Alfonsus, quod regum proprium est, voluptatẽ rationi, ambitionem publicæ tranquillitati prætulit; eorumque est sequutus sententiam, qui Ioanni Principi, eiusdem opinionis auctori, vt Brigantino acrius incurreret, accedentes, Castellæ fines inuaderet, suasere.
Iam ad Ducem Fernandum Secundum, de quo nobis sermo, sponte oratio vergit. Post infelicem illam pugnam ad Taurum vrbem, ex historiographis notam, in qua Alfonsus Ioannis pater

pater victus, fugatusque est, Princeps Ioannes, re felicius gestâ, & gloriæ cupidus, & blandientium consilio deuictus, tres integros dies, in eodem loco, victoris ritu, castra habere statuit. Attamen secundâ die, à primoribus & tumentē hanc moram, & vanam damnantibus exagitatus, in diuersam sententiam inclinauit, signisque explicatis, sub solis occasum, triumphali habitu, Taurum est ingressus. Milites Alfonsi Regis memores, illiusque casum iniquè ferentes, palam à tanto rege, in quo spem vitæ reliquam collocarant, desertos se querebātur. Ciues in hoc mœrore, filiorum partes, socij ciuium fidem tuebantur. Vtriq; Ioannem taxabant, qui victoriâ elatus, patris iacturam pro triumpho haberet, dedecorisque immemor, euentum sibi fortunatum commemoraret, ac si Castellæ siniſter exitiſſet, cui qualiscūque reputaretur, imperij fausti admodum, & felicissimi Catholicorum Regum Fernandi, & Isabellę initium adscribitur. Portugalliæ primores, ab huiuscemodi querelis omnino abstinuère; nā inter metum, principique præstandum obsequium, ad illius animum vultum componebant. Vnus Fernandus Dux Guimaranij, vel doloris impetu, vel affectu voluntatis, cui sententiam premere silentio arduum est, victus, solitâ cons-

terea sibi liceret est precatus, in aliquo Castellæ oppido, citatissimos, qui ad velocitatem mutarentur, equos, in sui, ac regis, cum necessitas vitæ conseruãdæ vrgeret, salutem, ac decus tuẽdum habere.

Ducis prudentia, etsi multis alijs commendari maxime solet, hinc sane liquet, quàm singularis extiterit, cum ea omnia vnus in medium afferret apud Consiliarios, quæ postea nostrorum calamitas est testata. Nec virtus prudentiæ defuit, vt ea intrepide enuntiaret, quæ licet parum grata auscultantibus, vtilissima tamen fore iudicauit. Alfonsus, quod regum proprium est, voluptatẽ rationi, ambitionem publicæ tranquillitati prætulit; eorumque est sequutus sententiam, qui Ioanni Principi, eiusdem opinionis auctori, vt Brigantino acrius incurreret, accedentes, Castellæ fines inuaderet, suasere.

Iam ad Ducem Fernandum Secundum, de quo nobis sermo, sponte oratio vergit. Post infelicem illam pugnam ad Taurum vrbem, ex historiographis notam, in qua Alfonsus Ioannis

pater

pater victus, fugatusque est, Princeps Ioannes, re felicius gestá, & gloriæ cupidus, & blandientium consilio deuictus, tres integros dies, in eodem loco, victoris ritu, castra habere statuit. Attamen secundâ die, à primoribus & tumente hanc moram, & vanam damnantibus exagitatus, in diuersam sententiam inclinauit, signisque explicatis, sub solis occasum, triumphali habitu, Taurum est ingressus. Milites Alfonsi Regis memores, illiusque casum iniquè ferentes, palam à tanto rege, in quo spem vitæ reliquam collocarant, desertos se querebãtur. Ciues in hoc mœrore, filiorum partes, socij ciuium fidem tuebantur. Vtriq; Ioannem taxabãt, qui victoriâ elatus, patris iacturam pro triumpho haberet, dedecorisque immemor, euentum sibi fortunatum commemoraret, ac si Castellæ sinister extitisset, cui qualiscũque reputaretur, imperij fausti admodum, & felicissimi Catholicorum Regum Fernandi, & Isabellę initium adscribitur. Portugalliæ primores, ab huiuscemodi querelis omnino abstinuère; nã inter metum, principique præstandum obsequium, ad illius animum vultum componebant. Vnus Fernandus Dux Guimaranij, vel doloris impetu, vel affectu voluntatis, cui sententiam premere silentio arduum est, victus, solitâ consG tantiâ

tantiâ, animique intrepidi libertate, in hæc verba, ad quæ proferenda par omnibus erat cupiditas, nulli audacia, in Principem, eiusque amicos, & clientes inuectus prorupit: *Equitum nobilissimum nomē dedecere eos, qui Regem in acie deseruerant; cui & superstiti obsequiū, & vitâ functo, parentationes deberent præsentes.* Mox Ioannem crebrò rogabat: *Vbi nā gētium patrem suum filius, regem ciuis, imperatorē miles reliquisset?* Animum Ioannis (qui à Duce Gusmaranij in tutelam Principis Ioannæ Tauri relicto, encomia pro victoriâ, & congratulationes exigebat) verba Fernandi acriter sauciarunt; vulneris tamen dolore presso, ad Ducem humane versus, studebat illius mœrorem mellitis verbis leuare; ac veluti eius orationem minime percepisset sibi suasum, cunctis patere voluit, illum egra Alfonsum Regem, in Fernando affectum, beneficijs potius, & officijs, quam sigillatione, & supplicio dignū.

Nemi-

Neninem tamen latuit odium iampridē in Guimaranij Ducem, conceptum, mirum in modum, ex hac illius libertate, in principis pectore excreuisse. Verum vt animi intemperiem, plurimis eam tot indicijs notam perspicientibus omnino dissimularet, summâ hilaritate, nuntium regis apud Castrum Nonij immorantis litteras afferentem excepit.

Paullòpost rerum humanarum inconstantiam, Alfonsus Ioannis Principis pater exosus, in Galliam secessit, eo animo, vt à Ludouico Rege auxilium in bellum, cum Catholicis Regibus susceptum extorqueret Gallo cessante, Antonium Fariam à secretis Ioannes in Galliam misit, qui parentem inuiseret, & quid in illâ expeditione spei esset, certò referret. Alfonsus nuntium remissit, cū mandatis ad Ioannē, quibus statuebat: *Confestim Lusitaniæ regnum capesseret, in cuius rei effectum, eidē, regno libentissimè cedere. Sibi esse in votis Solymam petere, ibique vitam, in cœnobio aliquo finire.* Litteris ad ciues datis, eos hortabatur, *ne cō-*

filium huiusmodi, diuinitus, vt dis- ferebat, sibi oblatũ aspernarentur.

Attamen ijsdem tantâ mollientis verbis, ambages quædam erat, & tricæ, quibus palam fiebat, hanc regis deliberationem, ex vi potius, aut timore, quam animi liberi sententiâ defluxisse. Prudentiores existimabant Alfonsio in caussâ extitisse, vt regnum relinquere simularet, eorum, qui apud illum auctoritatem maximam, & fidem meruerant, principis ergà parẽtem, fidem culpantium, proteruiam. Hi regi, exilij incommodis afflicto, arcanorum cum omnibus curas partienti, nullius fidem probatam satis existimanti suasêre, hac industriâ filij animum tentaret. Regnandi cupiditas, occasione propositâ modestissimi cuiusque integritatem corrumpit. Ea Ioannem flexit, vt melos suauissimum sanè huius decreti, hilari fronte exciperet. Attamen vt rem cunctis probatam tutius auspicaretur, seque minus auidum regni, quam regi obsequentem ostẽderet in procerum concilium, negotium detulit.

Sententiæ in grauissimâ hac difficultate dictæ, variè referuntur. Communi scriptorum suffragio constat, Fernandum, qui iam patre defuncto, Brigantiæ Dux nuncupabatur, cæteris, & digni-

dignitate. & auctoritate præstantiorẽ, liberè admodum, verbisq; tumentibus principẽ culpasse; *Qui parentis mœrore pressi, & ærumnis exilij, regno cedentis, orationem, ac preces ratas arbitraretur; regemq; ex Alfonsi præscripto, eo superstite, dici non erubesceret. Addidit principis interesse semel, atque iterum Alfonsi animo obsisteret, ad eũdemque litteris illico datis, toto conatu, ab incœpto reuocare contenderet; illud enim consilium, præteritis regis, curis defatigati, machinationibus adhuc esse deterius. Unum quippe Lusitaniæ principis maiestatem, & virtutem collabefactare, atque etiam cons-*

purcare, non in aliquo primorum, & à consilijs, longâ fide probatissimorum hominum cœtu, verùm in ipso totius orbis theatro. Futurum enim, vt quicumque huius rei cōscij essent, illius inconstantiam, & imprudentiam taxarent, quando à nullâ re erat magis alienus, quā ab eâ, cuius affectu se teneri affirmabat. Semel principe regiâ maiestate exornato, parentem ad eandē dignitatem, & nomen, non nisi vtriusque notâ, infamiâque Lusitaniæ perpetuò inurendâ reuerti poße. Demū in negotio ita arduo, regni comitia eße indicenda, vt testibus vrbium legatis, quid æquius eßet,

eſſet, decerneretur; ne fortè ex rei nouitate, ſi eũ ſubito, incolumi Alfonſo, quem patricij, & clariores equites vitâ chariorem habebant, cuiq; vel neceſſitas eiuſdẽ vrgeret, vel obſequiũ inſtaret, vel iã dẽ voluptas poſceret, vt notũ erat, nullo retardante diſcrimine, ſe ipſos, & ſua omnia, liberaliſsime offerre erant parati, regem declaratum audirent, aliquis tumultus exoriretur. Si Alfonſius ab incœpto, nullis precibus reuocari poſſet, tempus ſupereſſe Principi, vt regnum capeſſeret, illique longe honeſtius futurum, ſi diademate vti nollet, antequam Alfonſus in Luſitaniam

(in cuius oris, ac nemoribus, sitrã quillitatẽ secessus appeteret, mẽtis ardori obsequi poterat, plurimorũ, qui ibidẽ otio vacauerãt, exẽplũ sequutus) rediret. Ad extremũ, Ioannẽ decere, ad parẽtẽ legatum mitteret, qui eũdẽ ad regnimoderamẽ, præmeditatus rationes potissimas hortaretur, filij amorẽ erga ipsũ, & ciuiũ obsequiũ patefaceret, nec non liberè, & prudenti oratione dissereret de incommodis, quæ Alfonsi famam maculare, & Lusitanorũ Remp. perdere omnino, si ab eâmẽte nõ desisteret, minabãtur.

Princeps huius sententiæ liberate, quasi lethifero iaculo ictus est. Nam verba huiuscemodi adhuc duriora eorum pondus à fictione omnino alie-

alienum, & rationum, quibus nitebantur, vis reddebat. Præterea dicētis auctoritas maxima erat, vnà cum prudentiâ summâ, quæ duæ res plurimorum animos, vt idē consulerent, inuitabant.

Alfonsus tandem Gallicæ peregrinationis fastidio tactus, in Lusitaniam reuertitur. Princeps eodem die, de patris aduentu certior, in consiliū Ducem Brigantiaum, Cardinalem Georgium Costam, Vlyssiponensem Præsulem, & Garciā Menesium Eborensem vnà, & Igeditanensem Antistitem, viros Lusitaniæ, auctoritate, opibus, famâ præstantissimos asciuit. Cumque eorum sententias, in re adeo ambiguâ, rogaret, an videlicet liceret parentem suum Alfonsum, regi pompâ debitâ, vel vt priuatum excipere? Brigantinus intrepidè respondit (auctor est Romanus, rerū in Augustini sodalitio gestarū nobilis historiographus, in opusculo, de Braccarēsi Primatu)

Quid nos de modo, in patris aduētu seruando consulis? Res extra litem est, amore, & obsequio in parentem, regem, dominumq; praestando, necesse Alfonsum excipias.

 Hæccc

Hæcce verba Brigantino adſcribit Romanus. Fateor tamē à plurimis Cardinalis propinquis, vulgò tradi hanc ſententiam à Georgio prolatam. Conſtat ex Annalibus, Cardinalem Coſtam, & pluribus verbis, & callidiori orationis ſtilo, in eo cœtu vſum. Nam ingenij acumine, mirâque quâ pollebat ſolertiâ, Ioannis animum, exploratoris, in concilio, vicem ſubire, non vt ſententiam, quæ ipſi placuerat, ſi poſſet, mutaret; verū vt viros, ad id negotium vocatos perſpicuè noſceret, rimatus, vt principis mentem perſpexiſſe ſe oſtenderet, in hunc modum verba fecit:

Ioannem latêre non poſſe, quo parentes cultu, à natis accipi deceret, Sapientis maximè fultum auctoritate, aſſerentis: impium eſſe, qui parentem non diligeret, inſanum qui minimè coleret. Sibi ſatis notū eße, à Principe conciliū illud coactum, vt Luſitanorum animos, fide erga Regem Alfonſum egregiâ

giâ ornatos exploraret ; & præmijs, exploratos pro dignitate afficeret ; non quod existimaret deliberandum, an Alfonso regia maiestas, à quâ nunquam deciderat, esset restituenda? Hoc vnico humanitatis exemplo Ioannem vniuerso terrarum orbi, omnium principum præstantissimum comprobari. Futurum enim, vt omnes mirarentur, plus apud ipsum filij charitatem, & obsequium erga parentem, insitâ regibus, atque etiam cæteris hominibus, qui imperij quoquomodo parti libertatem, parendi officio, rationibus & legis comprobato anteferũt, ambitione valuisse.

luisse. Deniq; ipsi Ioāni, quid in eâ re diuina oracula, humanaq; sanctiones suaderent, omnibus in cōcilių ascitis, multò euidētius patère. Cōsiliariorū interesse, de regis aduentu, ipsiusq; in regē fide, & amore gratulari: Princeps Cardinalē, quē forsitā ad diuersa statuenda cōsuluerat, ingratâ fronte auscultauit. Argumēta verò, quib⁹ vsus fuerat, ad rē presētē aptissima, ad veteres offensiones tātū incremēti addiderunt, vt curis anxius, & quibus eas tutò cōmitteret, destitutus, parenti obuiā egredi decernens, eosdē proceres, nec verbo qui dē facto, vultu minantis simili, vt Cardinali terrorē incuteret, comites eduxerit. In littore dum regia triremis propriùs accederet, lapillos, ad morē ludētis, legens, mare percutiebat. Brigantinus, ex eâ Principis simulatione, quā acri vulnere Cardinalis verba, eundē sauciauerant, suspicione assequutus, ad Costā propriùs, leui risu fronte explicatâ, accessit, in auremq; dixit: *Nō in meū caput vulnus, lapilli illi parant.*

Cardi-

Cardinalis metu, & diffidentiâ, in quæ, ex aduerso Principis animo, multò ante sibi patefacto, inciderat, dissimulatis, Brigantino calamitatem ipsiusmet Ducis, iam sibi præuisam nuntiauit.

Addunt *Philippam Infantis Petri filiã, licetiâ ex matertera nomine, ac matris officio in Ioannẽ puerum impenso, cõcessâ, ad hæc odia, nõ leues stimulos Principi incutere, qui insõtis cæde in memoriã reuocatâ, in ipsiusq; vltionẽ, Brigantinæ gentis ruinã deposcere. Nã asserebat huius familiæ Dynastas Petri necẽ machinatos. Vtque facilius adolescentem in hanc partem flecteret, sæpius eâ animi prõptitudine, quæ fœminas, in vindictam potius sumẽdam, quam gratias referendas, exagitat, Antoniani, in nece Iulij*

Iulij Cæsaris, exempli memorem, nepoti lineam tunicam, qua auus perierat, cruentam explicaße. Orationem prætereà, ad cruoris in veste concreti aspectum, funestissimā addere solitam. Infantis integritatem simul, & infelicissimum casum referre, tātò potiori conatu ad suadendum, extensâ manibus, ob oculos audientis tunicâ, quantò, calamitates aspectæ, teneriores, auditis, motus commiserescentibus imprimunt. Ad hanc noxam, hæreditario iure, Duci impositam, proprias alias in Ioannem, quæ cæteras offensiones fide dignas redderent, vt altius vulnus infligentes, connumerabat.

Ferebatur etiam vulgo Ducem Fernandum, ab Eleonorâ Reginâ, vxoris ipsius Ducis sorore monitum, Ioanni semel atque iterum rumorem

aduer-

aduersum, quo eius, cum Annâ Mendozâ Ioannæ Principis Regum Castellæ filiæ (quæ vulgò Excellens Domina, aut Heroina dicebatur) à cubiculo, consuetudo inhonesta dilacerabatur retulisse; virtuteque, & libertate maximâ, ab eâ regem auertere fuisse conatum. Huius verò libertatis memoria, seminarium odij, principibus in illicebras propensioribus, elatis, & ad iram pronis, penes quos nulla alia auctoritas, vt à voluptate arceantur sancta est, nisi metus, aut commodum, in suos auctores parere solet. Iam sæpè Ioannes liberum, ad decora, Ducis animum fuerat expertus, præcipuè in Tauri expeditione (quod modo exposuimus) & concilijs ad hoc, vt regium nomen, ex patris decreto assumeret, vtque regno patri cederet, coactis; atque adeò ex licentiâ solitâ id emanare putabatur, quod amor profectò, & beneuolentia insceuerat. At Ducis candor, & dicendi libertas, cum nullum in Ioannis animo, locum honesto reperiret, ex opinione, & famâ, quàm inter sapientiores adipiscebatur, in plura incidebat pericula.

In regiâ diutiùs versati repullulantes, ex hac discordiâ calamitates formidabant. Metus caussas, familiaritas, quæ intercesserat Brigantino, cū Castellæ Regibus, sanguinis propinquitate, & maio-

maiorum amore firmata augebat. Eadem tamen officiorum vicissitudo, quâ Brigantinus Fernandum, & Isabellam prosequebatur, apud Ioannem, in Castellanos odium adhuc, & diffidentiam recoquentem, Ducem perfidiæ insimulabat. Plura alia in vulgus rumore dissipata, á quibus tamen referendis, modestiæ fræno, ne de rege inhonesta quædam, & spurca enunciem, cohibeor. Præter quod iis, quæ dicebantur, dubia fides tunc etiam adhibebatur. Quod vnum à conatu, eadem transcribendi, reuocare posset incurium etiam historiographum; me verò eò potētius deterret, quò firmius, nihil ambiguum proferre constitui.

CAPUT XVIII.

Ad regni fastigium euectus Ioānes, proceribus difficilem se, & infensum, exhibet.

SVb ipsa regni initia, Ioannes comitia indixit, cūque explurimis, in consuetu relatis, prospiceret

ceret Remp. collabefactatam penitus, & euersam, vix refici, in meliusque restitui, leni moderamine posse; ac propterea publicæ vtilitatis interesse, vt in aliam formam penitus diuersam transferretur; in eam primum omnium sententiam inclinauit, vt quicquid patri viris primoribus propensissimo, maximè placuerat, omninò respueret, eorum verò quæ Alfonsus decreuerat, maiorem partem rescinderet. Ex hac rerum cōmutatione maxima pars affectus, quo turba ipsum est prosecuta, ortum habuit. Gratissimū namque vulgo extitit, regem toto conatu, potentiæ Dynastarum obsistere; eosque cautis firmissimæ instar, suâ auctoritate munitos, vi & solertiâ multâ, in obsequij pelagus, spe emergēdi in posterum ademptâ, detrudi. Hac de caussâ, pacis imago euanuit, discordia, & odia clàm exorta, quæ funditus prosternere, atque vastare Lusitaniam, bello, contra Reges Catholicos anteà suscepto, iam commotam potuerunt. Visū ergo Ioanni, inter cætera mala Reip. molestissimam Dynastarum immodicam potentiā esse; cui protinus occurrere est conatus, atque obsistere. Eâ de causâ ius iurandum fidei, & obsequij, pro arcibus, & oppidulis suæ ditionis, denuò ab vno quoque eorum, ex more, quoties rex ali-

quis declaratur, faciendum, additis quibusdam verbis firmari voluit. In eam vsque tempestatem nulla erat huiuscemodi iurisiurandi scripta formula. Nam Lusitani, innatâ in reges suos fide nixi, animo magis illorū amorē, & obsequiū incidere, quam codicibus erant soliti. Attamen Ioannes potentioribus infensus, antiquato more veterrimo, in iureiurando eatènus vsitato, formulam nouam excogitauit, quæ non solum animorùm alium esse affectum, regi patere indicabat, verum etiam priuilegiorum, & immunitatū, tot antè seculis, proceribus concessarum vires omninò infringere videbatur. Resendius latissimè de hac re sermonem facit, quæque rex addi voluit verba, sigillatim refert.

Dynastæ rei nouitate perterriti, quicquid Ioannes, præter id, quod in more erat, adiecit ægerrimè tulêre. Inter cætera iniquum maximè reputabant, regem totis viribus niti, vt ipsi pro præfectis, quibus arces suas tradiderant, aut in posterum committerent, fidem iureiurando obstringerent, atque eidem supplicio, pro alienâ perfidiâ, quo si ipsi à rege deficerent, erant puniendi, ob noxij crederentur. Vt id ratum haberetur, & firmum, decretum regio signo munitùm Ioannes promulgari iussit, è cuius verbis

bis, quod rex hac rerum mutatione conaretur, facile colligi posset. Sanxit deinde, quo manifestius potentiorum spiritus cõtundere sibi esse in animo demonstraret. vt Dynastæ omnes, regijsquè muneribus, & honoribus affecti, tabulas quibus immunitates, & priuilegia illis concessa constabat, ad præscriptum diem in regiam afferrent. Fateor hoc edicto nil aliud Ioannem conatum, quam immunitates procerum, ritè ac rectè scrutari, & sua denique auctoritate firmare, atq; munire. Rumore tamen dissipari cœpit, fore vt rex priueligiorum alia imminueret, quædam rescinderet, omnia denique corrigeret. Post hæc ijsdem comitijs statuit, vt regij prætores oppida Dynastarum fidei commissa inuiserent, in eisque magistratum, prout liberet, exercerent. Id ad illam vsque ætatem, minimè vnquam fuerat vsitatum. Rex verò ita fieri decreuerat, vt rationem habere videretur miserorum quorundam hominum, in oppidis procerum, querelas in Dynastarũ, eorumq; magistratuum liberum imperium, ac moderamen à maioris cultu absolutum liberè iactantium. Vt his ærumnis opem ferret, sancitum est, ne magistratibus à primoribus creatis, in illorum oppidulis immorari cum imperio, plusquam dies quindecim liceret, quo

elapſo ſpatio iuris dicundi auctoritas, ad regiô prætores, alioſuè minoris dignitatis, pro rege magiſtratus transferretur, qui de ijs omnibus quæ eatenus Dynaſtarum arbitrio, aut ſententiæ ſubijciebantur, recognoſcere, & quod conſentaneũ in iure videretur, decernere poſſent, quandiu id publicę vtilitatis intereſſe videretur. Nullâ item aliâ ex cauſſâ, primorum, qui Adelantati nuncupabuntur, dignitatẽ aboleuit. Multis enim indicijs expertus fuerat, eos vel quod conſanguinitate, vel quòd familiariſsimâ cõſuetudine Dynaſtis iuncti eſſent, illorum immunitates, & priuilegia, pot eſtatis regiæ prætextu, iuuare potius, quàm infringere. Ad extremum fidei publicæ tabulas homicidij inſimulatis, vt libere poſſent comparere, concedendi facultate, proceribus interdixit.

CAPVT XIX.

Moleſtiâ maximâ, ex regis decretis proceres afficiuntur.

HAEC E ſanctiones, & leges, etſi publicæ Luſitaniæ vtilitatis cauſſâ ederẽtur, maximèq; eſſent

essent necessariæ, vt Ioannes liberè, & pro suâ dignitate, regio munere fungeretur, in quo tota ratio felicitatis imperiorum collocatur (multis enim priuilegiorum tricis principes irretiti, priuatam potius vitam agere, quam publicum maiestatis regiæ splendorem tueri sunt existimandi) tot, tantisque regni proceribus, & ornamenti, & opum iacturam facientibus, originem præbere videbantur, vt solertiâ etiam Ioannis maximâ, & prudētiâ futuros euentus dissimulante, iram inter, & desperationem plures differerent: *Ioannis conatus in id vnum vergere, vt proceres in ordinem redigeret, eorumque splendorem, & magnitudinem protereret, atque conculcaret; illius enim ingenio tumenti admodum, & elato, parùm, ac vile existimari, si à ciuibus, quo pater ipsius Alfonsus, aui, atque ataui, egregij principes, obse-*

quiosunt habiti, exciperetur. Velle, vt omnes proceres supplices, eo animorum habitu, quo æternum numen mortales adorant, & reuerentur, se colerent. A iure verò, atque etiam ratione alienum omninò esse, tam ineptæ regis opinioni obtemperare. Nec si primores id paterentur, temporum calamitatem, hominumq́ue eo æuo Lusitaniæ splẽdoris ceruices erectas, ac libertatẽ animorum, tantum communis patriæ deducus laturæ. Populi plausus, & crebras Ioanni adulantiũ voces, quibus nitebatur, à regis clientibus solicitari, atque etiam extorqueri, vt hoc prætextu, con-

tra

traius, & æquum, iure, & æquo imperare videretur. Nullâ profecto iustâ caussâ duci, vt maiorũ decreta, acta, & leges, maturâ deliberatione promulgatas, tot annorum experientiâ firmas, ratasque cum res mutatæ palã in peius ruere conspicerentur, primo in conuẽtu, iuuenili impetu, temeritate perniciosissimâ infringeret, antiquaret, rescinderet. Nec regi, nec regno, in quo tyrannidis nulla esset suspicio, liberum esse à regibus veteribus, pro rerum bello paceq; egregiè gestarum remuneratione, beneficia, & priuilegia concessa derogare, atque imminuere. Negotium

tium eiusmodi esse, vt sauitiam tyrannidis immanissimam, in Lusitaniam grassari nemo inficiaretur; quo nomine & Ioanni omnia licere, & ciuibus pro vitâ tuendâ, dignitate, & nominis opinione conseruandâ, ac facultatibus suis defendenbis, quâ ratione id facilius poßent, industriâ, vi, tumultu, armis, bello, imminentem cladem propulsare liberum. Sapientiores affirmabant, *Ioannem quidem, in suscepto negotio, virtute maximâ, atque incredibili animi magnitudine vsum fuisse; intempestiuè tamen tantam rerum molem euertere conatum. Regiæ maiestatis sub*

sub ipsum imperij initium, modestiæ, & humanitatis simulatione, in se potentiorum animos converteret, referre. Eorum enim obsequio, & viribus, regni diuturnitatem solere principes metiri. Confusæ multitudinis voces, animum, opes, vires, in regis obsequium obstringentis, belluæ multorum capitum, nullius roboris, & constantiæ esse existimandas; nam primo illo impetu sedato, in plurima discrimina aditum parare. Regem imprudenter primas moderaminis partes timori addicere; temerarie severitatem humanitati præferre. A civilis prudentiæ normis longè ab esse, tot re-

rerum innouatione, regiā auspicari potentiam. Prius enim vadum experiri, ne in fluentis periculum sit, oportere. Principes longo dominandi vsu, habiliores ad imperium fieri; in optata ad finem perducenda tenaciores; atque ita rerū naturam, optimam humanarum actionū magistram, quæ primùm res humiles educit, paullatim roborefirmat, & magnitudine, æmulari. Nullam esse in rebus creatis, eâ excellentiâ præditam, quæ progressus rationem non habeat. Ignemè contemptâ sæpè scintillâ, nullo strepitu exortum, ad summa tandem fastigia, victorem euadere. Procel-

las

las tenui primùm è nubeculâ, in-fulgura, & tonitrus, grandinisque multæ emissionem coalescere. Eodem modo regis intereße, solertiâ, & industriâ paullatim ea dispo-nere, quæ vnico impetu, & vi ad-hibitâ perficere conabatur. In dis-crimen non contemnendum, ani-mi sui tranquillitatem offerre, si penitus deliberaret id exequi, cui obsistere fas, & æquum omnes cen-sebant, nominisque iacturam si nõ desisteret, facere neceßarium. Pru dentiam ætate maturiorem, dili-gentiamque in regni moderamine comprobatam, in aptiorem occa-sionem posse tandem deferri, vt,

quæ

quæ animo conceperat, tutiùs exequeretur; nam eo æuo prudentissimis patêre, plurima vitia, principum viribus esse potentiora. Dum in Regem hæce, & aliæ similes querelæ iactantur, proceres inter se, priuilegia, & immunitates à regibus olim concessas, iure in foro tueri constituere. In hanc rem Brigantini Ducis, cui regiæ seueritatis maxima pars minabatur, vel, quod plurimi differebant, scopi, in quem tota hæc procella, tacitâ Ioannis simulatione, fulmina contorquêre censebatur, nutu, & auctoritate, negotium moderari deliberarunt.

CAPVT XX.

Nonnulla inter Regem, & Brigantinum Ducem exortæ simultatis indicia prælibantur.

SVB idem tempus, negotijs, quorum caussâ comitia fuerant indicta, magnâ ex parte decisis;

fis, à Dynastis fidem sibi obligari eâ, quam commentus erat, nouâ formulâ, Ioannes die ad id cõstitutâ voluit. Primus omnium regi in hac parte Brigantinus Dux, pro se, suæque curæ, & ditioni arcibus commissis, atque etiam pro ijs, quæ ad Visensem Ducem, eâ tempestate, sequestrij causâ, in Castellâ morantem spectabant, serenâ fronte paruit. Post Brigantinum, fidem regi obstrinxerunt Montis Maioris Marchio, Comes Faronensis, Aluarus Portugallensis, Ducis fratres. At licet recusandi periculum, æquè, ac regis consilium de immunitatibus, & priuilegijs procerum rescindendis patêret (primorum enim potentiã, veterrima regni vlcera, non nisi acribus medicamentis sananda existimabat) attamen Dux Fernandus de vi sibi illatâ questus est, nullumque inde incommodum suis rebus parari vllâ ratione posse præfatus, verba illa nouæ formulæ protulit; iure quippe Cæsareo, coram iudicibus ad id præscriptis, amplitudinem, & magnificentiam Brigantinæ familiæ tueri decreuerat. Hæ Ducis querelæ Regis animum maximè turbarunt, in eis enim plus libertatis, & audaciæ, quam pro ingenio in seueritatem procliui, imperijque cupidissimo ferre poterat. Cum verò ob veteres cum Brigantino simultates, maiori solicitudine, propter

ter eadem torqueretur, animum in vnam rem applicuit, vt viam tandem aliquam scrutaretur, quâ ab illis molestijs, & timore in dies plura effingente exsolueretur. At cum, diffidenciâ oborâ, amicitiæ vincula corrumpantur sit necesse, ex hac die gratiæ inter regem, & Brigantinum reconciliandæ spes omnis est ablata. His stimulis Ioannes acriter commotus, facilè ex ipsâ tem porum calamitate, vt quod ardẽter cupiebat, adoptatum perduceret, ansam arripuit. Nec id labore multo, aut nouâ discriminum mole obrutus peregit; postquam enim erga proceres, amore, & beneuolentiâ antiquâ, quibus præcipuè vinculis, sui imperij diuturnitas erat confirmanda, depositis, in natiuam sæuitiam, prono impetu, deflexit, quicquid appetebat, nullo retardante exequebatur.

CAPUT XXI.

Brigantinus Dux, à Rege, quibus caussis motus, procerum immunitates retineat, edoceri apertè postulat.

Ego

EORVM, qui ab atauis Ioannis regibus, honoribus, aut opibus maximis fuerant donati, priuilegia, immunitates, & regia cætera beneficia tabulæ continentes, apud regem asseruabantur; qui non minori difficultate, vt ea rata haberet, quam si primus concessurus esset, exorandus videbatur. Cæteri Lusitaniæ reges, paucis post sumptum diadema, diebus elapsis, vnico decreto, quicquid à prioribus regibus, Dynastis fuerat donatum, aut concessum, ratum firmumque esse iubebant. Ioannes more hoc antiquato, post varias, in eo negotio ventilando, moras, immunitates huiusmodi, vt nonnullis ditionis limites angustiores redderet, aliorum priuilegia rescinderet, plurimos prouentibus, è regiâ gazâ signatis spoliaret, ad trutinam reuocare constituit. Hac de caussâ Dynastæ, regi valde infensi querimonias clàm, & palam, vocibus etiam in cælum contentis edebant. At Ioãnes cæterorum oblitus, verba tantummodo, & questus Brigantini, eiusque fratrum attentè auscultabat. Ijs enim velut instrumento, ad huius inclytę familiæ ruinam vti decreuerat. Post hęc, summâ curâ Rex est conatus, vt regij prætores, iuxta decretum in comitijs, in oppida procerum, iuris dicundi caussâ, irruerent. Dux Fernan-

Fernandus, palam in hoc negotio, Regi repugnauit, ad eumque in hunc modum verba fecit: *Amentiam eſſe, optime Princeps, fateor, regis voluntati ciuem obſiſtere, dum ab eo, quibus rationibus, in decreta promulganda ducitur, vel affinitatis neceſsitudine, vel potentiæ opinione delenitus, edoceri poſtulat. Cum tamen mihi notũ ſit, te nil vnquam, niſi maturo cõſilio, & cauſsis prudenter expenſis ſtatuere, à te ſcire velim, quibus argumentis enixus, procerum immunitates, & priuilegia antiquare coneris? Si ſupplicij loco, hæc potentiæ noſtræ imminutio eſt accipiẽda, ob quàm noxam, hoc ſupplicio* Dynaſ-

Dynaſtas afficis? Si neceſsitate coactus hæc moliris, ciuium nomẽ, & fortunam agnoſcimus, quâ in conditione collocati, libenter tibi potentiam, & opes à maioribus relictas offerrimus. Dum cauſſæ huius decreti me latent, tibi obſiſto, neque enim credere poſſum, tibi gratum eſſe noſtrum dedecus. Ciuium incolumitas prima lex eſt in maximis imperijs; Reip. que vtilitas Principum maieſtatem longè anteit. Horum decretis repugnare, cũ ius, & æquum, parentium animũ tutatur, non eſt ab obſequio diſcedere. Neque enim reges potentiâ, & gloriâ inclyti, à iure dum iuſti-

tiam colunt, exsolui possunt. Necessum quippè est, iuxta leges semel à se probatas, Reip. præsint. Qui potest fieri, vt hominibus à noxâ omnino alienis, supplicia, quibus honestatis opinio penitus concidit, imponantur? Ab honesti à maioribus maximâ solicitudine custoditi fontibus, nostræ immunitates dimanarunt, si has tollis, quid vitam nobis in maius opprobrium reliquis? Sine veteri illo ornamento, quem cultum promeremur? Regij proprætores nostra oppida inuisent, vt notum faciant, à nobis æquum, & ius contemni; si iure, & æquo duci palam fecerimus, in quo

nocen-

nocentes sumus? Hæc pro rebus à nobis, summo discrimine, nec minore felicitate gestis merces soluitur, an exemplum est, quo posteros docere studes, quâ cura, & animo pro principum salute, sese in discrimina offerre contendant? Si beneficia à prioribus regibus concessa posteriores sunt erepturi, frustrà ciues ardua qualibet & periculosissima aggrediuntur, vt nepotibus suis stemmata gloriosa parent. Munificentiæ tuæ famam, hoc vnico conatu funditus collabefactas; nullũ enim princeps encomium promeretur, qui vt maiestatem suam ostẽdat, ciuium amplitudinem dissi-

pare nititur. Rationi maximè consentanea Brigantini oratio erat; etsi veri cura, atque rationis studium, eorum audaciam, qui potentiores culpant, à crimine liberare minimè sufficit. Reges nil æquè fastidiunt, ac se velut cæteros mortales, nudâ veritatis face conueniri. Expedit cum eis sermonem, præmissis multis precibus, & amoris, atque cultus indicijs, texere. Qui verò eorum vitia apertè ipsissimet regibus recensent, nō vt corrigant, sed potiùs vt infesti reddantur, materiem præbere sunt credendi. Ioannes excandescentiâ non parum commotus respondit: *Ciuibus nequaquam licere, de principum actionibus iudicium ferre, & caussas earum, industriâ scrutari; eorum enim, quos æternum numen parere decreuerat, gloriam tantùm in obsequio præstando reperiri. Temerarium esse, sui conatus sedulò rimari, periculosissimū, quibus Remp. moderari cœperat, legi-*

legibus repugnare. In Fernando verò eò fœdius huiusmodi crimen, quo præstantior cæteris existimabatur, esse; vnde constabat fore, vt fidei desertoribus se ducē offerret; Sibi consuleret, & deliberatione breui sumptâ resipisceret, quibus intricabatur curis omissis. Quod si hæc consilia vtilissima sperneret, reges, quicquid vellent, posse, pro certo haberet. Ad verba, frontis etiā caperatæ supercilio, læsi animi indicia addidit. Hæc ad veteres offensiones, in regis animo, nōdum sopitas, culpa superaddita, illas in memoriam reuocauit, & maioris quàm anteà momenti esse suasit. Licet verò Ioannes, à publicis in Fernandū querelis abstinuerit, apud se de eo supplicium sumere statuit. Cùm autem vindictæ auiditas, ad homines nobis molestos perdendi occasionem reperiendam, ingeniosissima sit, non multò post, quod in votis habebat, facile rex est exequutus.

CAPUT XXII.

Montis Maioris Marchio, in exilium à rege amandatur.

PER id tempus ab Ebora vrbe Montem Maiorem Ioannes, regio cum comitatu secessit, vt eo in oppido, cui præerat cum imperio, Ioannes Marchio, Ducis frater, comitia dissolueret. Marchio, vt regi ad se diuertenti gratularetur, in illius occursum, vestibus, præ mœrore, ob Alfonsi Regis obitum, tunc vsitatis, ex parte depositis, est egressus. Rex scelus maximum, hoc sibi aduenienti obsequium præstitum est arbitratus. Cum verò eodem die, Marchio Ioannem Galuanum Antistitem Braccarẽsem designatum, ne clientulo cuidam, domo suâ, in præsulis hospitium, ægrè cedenti deesse videretur, nonnullis conuitijs exciperet, ob vtrumque crimen, Marchionem, à Monte Maiore, non pauca millia passuum, exulare, vt ita Brigantini fratres diuideret, eorumque concilia, quibus iam maximè fatigabatur, timori modò, modo indefessæ solicitudini obnoxius, vtriusque caussam, immi-

nutionem videlicet immunitatum, procerumq; cõtemptum, nullâ ex parte remittens, spatio interposito impedita perturbaret, iussit.

CAPVT XXIIII.

Aluarus Portugallēsis Ducis frater, multis à rege molestijs, per summam iniuriam afficitur.

ALVARVS Portugallensis, integritatis, & prudentiæ eximiæ opinione clarus, Lusitaniæ Cancellarij munus, quo quidem magistratu, ab Alfonso in omne vitæ tempus, fuerat condecoratus, exercebat. Cum verò ad Cācellarium, à rege beneficia, & munera, pro ciuium meritis concessa, adamussim examinare, vt tandem regio diplomate, præmia veluti iure, & æquitate distributa muniantur, attineat; opus erat, vt huiusmodi officij particeps esset doctor aliquis, in iure Cæsareo cum opinione versatus, qui ex legum arcanis, in difficilimis negotijs occurrentibus, quid iuri magis consentaneum fo-

ret, consuleret. Virum in hanc rem aptissimum Aluarus elegerat, qui vicem Cancellarij gerebat, illiusque nomine, plurima è Reip. commodo rata esse iubebat. Hac de caussâ magistratus huiusmodi, auctoritatem maximam, & imperium Aluaro importabat. Ioannes vbi primum rex est dictus, Cancellarij munus, non nisi à viro iurisprudentiæ professore exerceri posse præfatus, eo Aluarum spoliauit. Iterum post non multos dies, vt offensionem publicam dissimularet, Cancellarium Aluarum eâ conditione creauit, vt ipse per se munus illud obiret. Regis animus facile ex conditione, Aluaro innotuit, munereque sponte cessit. Senatorum item, in controuersias iure discutiendas, ordini præerat Aluarus; eoque in magistratu, plures adhuc, & atrociores à rege molestias accepit. Palam enim multa Ioannes indicia exhibuit, se paruin Aluari integritati, etsi ea totâ in Lusitaniâ probatissima esset, fidere. Hæc omnia, eo animo rex moliebatur, vt Aluari famam, & auctoritatem, vel omninò deleret, vel magnâ ex parte collabefactaret; eoque argumento, Brigantini constantiam, & animi magnitudinem, quâ semel depressâ, quicquid optabat, facilè assequuturum se sperabat, frangeret. At proceres tot iniurijs laces-

lacessiti, conspirationem machinantium, speciem præ se ferebant.

CAPVT XXIIII.

Montis Maioris Marchio liberè, & petulanter, in Regem Ioannem, querelas iactat.

MONTIS Maioris Marchioni, exilij caussâ, in Ioannem acriter commoto, pro querelarum lenimine, regem dicterijs proscindere gratissimum est visum. Nec conuitijs palam in Ioannem sæpissimè iactatis contentus; atrociora quàm fratres, qui tolerantiam inter & silentium, suam erga regem fidem, & integritatem comprobare solicitè studebant, in regis ruinam, molientis indicia propalabat. Brigantinus fratris audaciam, semel atque iterũ, verbis nõ lenibus reprimere, dumque à sententiâ dimouere est conatus. Marchio Ducis consilia saluberrima contempsit, ad Regesque Cas-

tellæ, è familiâ virum præstantem à secretis, ire iussit, qui de recentioribus in Regem Ioannem querimonijs, à proceribus, sparsis, eos edoceret. Castellæ Reges voluptate maximâ, ob hanc rem sunt perfusi; etsi de eâ hilaritate, nil, ad Marchionem, certi nuntiari voluêre. Nam in rem suam attinere sunt arbitrati, si Lusitanum Regem, ob notam, cum Marchione, epistolarum, officiorũque vicissitudinem, solicitum, & anxium, quin in apertas simultates iretur, redderent. Neque enim tutum existimabant, in bellum sponte suscipiendum, adeò palam se procliues fateri, vt nullus in posterum, sibi, inter gloriam, & infamiam, locus reliquus foret.

CAPVT XXV.

Exempla epistolarum à Brigantino, Regibus Castellæ, ad Ioannem deferuntur.

REGI his intento Lupus Fiouredus, cliens Fernandi, quem ipse Brigantinus, scribæ de rebus ad opes suas attinẽtibus, munere

munere honestarat, superuenit, cum nonnullis epistolis à Duce Regibus Castellæ missis, è quibus Fernandi animus, à Rege Lusitano parum alienatus, vt delator aiebat, constabat. Ioannes Ficuredum ob proditionem humanissimè acceptum præmijs etiam auxit. Litteræ verò ab homuncione illo allatæ, ob solicitudinem, qua rex Ducis ruinam moliebatur, noxâ, si qua erat ob verba aliqua in ipsis reperta liberè prolata, multò plus sceleris continere sunt creditæ. Earum exempla ab Antonio Fariâ excerpta, apud eundemque, nam vnum arcanorum participem rex faciebat, asseruari iussum. Autographæ epistolæ, in scrinium, in quo repertæ fuerant, sunt restitutæ. Quod quidem non minus suspicionis, quàm ipsa delatio parere poterat. Ficuredi audaciæ, pontem alijs strauit, vt & ingenij malignitate, & præmiorum spe allecti, plures alias in Brigantinum calumnias, ad regem deferrent. Quibus motus Ioannes Ducem carceri includere statuit. Cùm autem res maximæ, eâ celeritate, quâ animus appetit, effici nequeant, earum enim magnitudo in deliberando formidinē, formido moram, mora difficultates auget; minori molestiâ, in negotio decernendo, quàm in occasione, & opportunitate, quæ decreuerat perficiendi, quæritan-

dâ

dà est affectus. Attamen alto silentio, & dissimulatione, in retam arduâ, valdè necessarijs, interim, nequid consilium euerteret, pro regiâ dignitate tuendâ vtebatur.

CAPVT XXVI.

Inter Fernandum Castellæ, & Ioannem Lusitaniæ Reges, nonnulla simultatis indicia, Ducis caussâ, emersere.

PAVLO post ad optatum perducendi consilium animo, in Ducem, ac fratres, veluti prioris seueritatis pœniteret, humanissimum se, & beneuolum Ioannes exhibuit, vt eos hac arte, ad obsequium, fiduciamque alliceret. Interea certior effectus, à Castellâ procellam illam initium, & vires ducere, ob consuetudinis familiaritatem, quâ Reges Fernandus, & Isabella Ducem prosequebantur, eisdem timoris, & felicitudinis max mæ argumenta parare decre-

decreuit; eâque de caussâ statuit, vt Ioanna Excellens Heroina, à virginum cœtu, vbi vota solemnia emiserat, egressa, nullis seucrioris illius instituti legibus addicta, familiâ splendidissimâ, & cultu principis digno, vitam regiam ageret. Multòque plura in formidinem, & rerum nouarum metum dissipata sunt, cum omnibus notum est factum, Castellæ Reges, in Diuæ Matris Guadalupensis cœnobio, custodię tradidisse Petrum Montesinum, qui repertus fuerat, & interceptus à Fernandi exploratoribus, cum epistolis, & scriptâ directione Fernandi Gonçaluij Mirandēsis, Antistitis Lamelensis, sacelli regij, in Lusitaniâ, Protosacerdotis; Alfonsi Ferraræ Castellani; atque Aluari Lupij, regi à secretis; quibus ad Frācum Phœbum Vasconiæ Regem mittebatur, vt ei Ioannæ nuptias suaderet. Zurita refert Ioannem Castellæ Regibus, suâpte naturâ ita aduersum, vt nullâ arte ad beneuolentiam, in eos, multòque minus in Isabellam, cum quâ arctior sanguinis necessitudo erat, simulandam frangi posset; atque eâ de caussâ, iniquè horum regum prosperam admodum fortunam, in dies ad sublimiora vocantem tulisse. Quibus felicitatis incrementis obuiam ire posse, si res nouas moliretur, Ioannâ in spem regni erectâ existimauit;

vel denuò excitatis, vel veterrimis, recentibus argumentis, accensis, Ioannem anxium semper, & curis oppressum terere nitebatur. Vnum, in sequestrio scilicet, vtriusque regis prolem, in concordiæ pignus detineri, pacis conditiones, animis penitus alienatis, tuebatur. Vterque de obsidibus reddendis agi cupiebat, neuter id se appetere audebat alteri notum facere. Denique Ioannes primus, vt principes restituerentur parentibus, per legatum Ioannem Syluerium Aluitensem Baronem, quem ad Fernandum, cum Roterico Pinâ (qui postea regius historiographus est designatus) vt à secretis, in legatione obeundâ esset, cum Regibus Castellæ agere cœpit. Rex Lusitanus, in hanc rem se propensiorem in dies fatebatur; in animum enim induxerat, dum obsides, in Beatricis potestate forent, de Brigantini ruinâ nil posse sperari. Nec vanam suspicionem hanc fuisse, effectus, postquam obsides sunt redditi, manifestauit. Infans Beatrix, etsi summâ fide, neutram in partem propensior, sequestrij curam gereret, attamen cum Brigantini, affinitate socrum, matrem amore gereret, prætérquã de illius incolumitate, & salute; maximè erat solicita, mutuam officiorum vicissitudinem, eo ardore, per id tempus, erga eundem instituerat, vt nō mino-

ideóque de hoc connubio, cum Rege Galliæ, Vasconum Principis auunculo, eo silentio, vt prius illius nexu, si fieri posset, Francum Phœbū Ioannæ coniunctum, notum omnibus foret, quàm de hac re quælibet suspicio emanaret, agere cœpisse.

Hic rerū statusmaiora pericula minari videbatur; iā enim diffidētiæ limites vtrique trangressi erant, & fœdera pacis, ad Morā oppidū, tāto animorū cōsensu icta, ex parte rumpi cœperant; et si hos principes, in bellū potius propensi animi indicia exhibere, quàm bellum ipsum inferre velle satis notum erat. Rex Fernandus à Lusitano, vt se eodem animo esse, in pacem tuendam, supplicio de paciscentibus Ioannę nuptias sumpto, ostenderet, per legatos postulauit. Ioannes illius consilij auctorem, tantam rem machinantibus conniuens, se explicuit; verborumque officijs, ab eâ nox â alienū se fateri satis habuit. At Fernādus offensionem prudenter dissimulauit, Lusitanus verò incœptum omninò sopiri est passus. Vterque enim, vt peritiâ militari inclytus, posse hostem percutere, alter ostentabat, ab ictu infligendo abstinebat. Fateor Castellæ Regem, de Lusitani ruinâ, absque militum cæde, maximè solicitum; in eamque rem, ciuilibus discordiis,

vel

tiam colunt, exsolui possunt. Necessum quippè est, iuxta leges semel à se probatas, Reip. præsint. Qui potest fieri, vt hominibus à noxâ omnino alienis, supplicia, quibus honestatis opinio penitus concidit, imponantur? Ab honesti à maioribus maximâ solicitudine custoditi fontibus, nostræ immunitates dimanarunt, si has tollis, quid vitam nobis in maius opprobrium reliquis? Sine veteri illo ornamento, quem cultum promeremur? Regij proprætores nostra oppida inuisent, vt notum faciant, à nobis æquum, & ius contemni; si iure, & æquo duci palam fecerimus, in quo

I *nocen-*

nocentes sumus? Hæc pro rebus à nobis, summo discrimine, nec minore felicitate gestis merces soluitur, an exemplum est, quo posteros docere studes, quâ cura, & animo pro principum salute, sese in discrimina offerre contendant? Si beneficia à prioribus regibus concessa posteriores sunt erepturi, frustra ciues ardua qualibet & periculosissima aggrediuntur, vt nepotibus suis stemmata gloriosa parent. Munificentiæ tuæ famam, hoc vnico conatu funditus collabefactas; nullum enim princeps encomium promeretur, qui vt maiestatem suam ostẽdat, ciuium amplitudinem dissi-

pare nititur. Rationi maximè consentanea Brigantini oratio erat; etsi veri cura, atque rationis studium, eorum audaciam, qui potentiores culpant, à crimine liberare minimè sufficit. Reges nil æquè fastidiunt, ac se velut cæteros mortales, nudâ veritatis face conueniri. Expedit cum eis sermonem, præmissis multis precibus, & amoris, atque cultus indicijs, texere. Qui verò eorum vitia apertè ipsissimet regibus recensent, nō vt corrigant, sed potiùs vt infesti reddantur, materiem præbere sunt credendi. Ioannes excandescentiâ non parum commotus respondit: *Ciuibus nequaquam licere, de principum actionibus iudicium ferre, & caussas earum, industriâ scrutari; eorum enim, quos æternum numen parere decreuerat, gloriam tantùm in obsequio præstando reperiri. Temerarium esse, sui conatus sedulò rimari, periculosissimū, quibus Remp. moderari cœperat,* *legi-*

legibus repugnare. In Fernando verò eò fœdius huiusmodi crimen, quo præstantior cæteris existimabatur, esse; vnde constabat fore, vt fidei desertoribus se ducē offerret; Sibi consuleret, & deliberatione breui sumptâ resipisceret, quibus intricabatur curis omissis. Quod si hæc consilia vtilissima sperneret, reges, quicquid vellent, posse, pro certo haberet. Ad verba, frontis etiā caperatæ supercilio, læsi animi indicia addidit. Hæc ad veteres offensiones, in regis animo, nōdum sopitas, culpa superaddita, illas in memoriam reuocauit, & maioris quàm anteà momenti esse suasit. Licet verò Ioannes, à publicis in Fernandū querelis abstinuerit, apud se de eo supplicium sumere statuit. Cùm autem vindictæ auiditas, ad homines nobis molestos perdendi occasionem reperiendam, ingeniosissima sit, non multò post, quod in votis habebat; facile rex est executus.

CAPUT XXII.

Montis Maioris Marchio, in exilium à rege amandatur.

PER id tempus ab Ebora vrbe Montem Maiorem Ioannes, regio cum comitatu secessit, vt eo in oppido, cui præerat cum imperio, Ioannes Marchio, Ducis frater, comitia dissolueret. Marchio, vt regi ad se diuertenti gratularetur, in illius occursum, vestibus, præ mœrore, ob Alfonsi Regis obitum, tunc vsitatis, ex parte depositis, est egressus. Rex scelus maximum, hoc sibi aduenienti obsequium præstitum est arbitratus. Cum verò eodem die, Marchio Ioannem Caluanum Antistitem Braccarēsem designatum, ne clientulo cuidam, domo suâ, in præsulis hospitium, ægre cedenti deesse videretur, nonnullis conuitijs exciperet, ob vtrumque crimen, Marchionem, à Monte Maiore, non pauca millia passuum, exulare, vt ita Brigantini fratres diuideret, eorumque concilia, quibus iam maximè fatigabatur, timori modò, modo indefessæ solicitudini obnoxius, vtriusque caussam, immi-

nutionem videlicet immunitatum, procerumq; cõtemptum, nullâ ex parte remittens, spatio interposito impedita perturbaret, iussit.

CAPVT XXIIII.

Aluarus Portugallēsis Ducis frater, multis à rege molestijs, per summam iniuriam afficitur.

ALVARVS Portugallensis, integritatis, & prudentiæ eximiæ opinione clarus, Lusitaniæ Cancellarij munus, quo quidem magistratu, ab Alfonso in omne vitæ tempus, fuerat condecoratus, exercebat. Cum verò ad Cãcellarium, à rege beneficia, & munera, pro ciuium meritis concessa, adamussim examinare, vt tandem regio diplomate, præmia veluti iure, & æquitate distributa muniantur, attineat; opus erat, vt huiusmodi officij particeps esset doctor aliquis, in iure Cæsareo cum opinione versatus, qui ex legum arcanis, in difficilimis negotijs occurrentibus, quid iuri magis consentaneum fo-

ret, consuleret. Virum in hanc rem aptissimum Aluarus elegerat, qui vicem Cancellarij gerebat, illiusque nomine, plurima è Reip. commodo rata esse iubebat. Hac de caussâ magistratus huiusmodi, auctoritatem maximam, & imperium Aluaro importabat. Ioannes vbi primum rex est dictus, Cancellarij munus, non nisi à viro iurisprudentiæ professore exerceri posse præfatus, eo Aluarum spoliauit. Iterum post non multos dies, vt offensionem publicam dissimularet, Cancellarium Aluarum, eâ conditione creauit, vt ipse per se munus illud obiret. Regis animus facile ex conditione, Aluaro innotuit, munereque sponte cessit. Senatorum item, in controuersias iure discutiendas, ordini præerat Aluarus; eoque in magistratu, plures adhuc, & atrociores à rege molestias accepit. Palam enim multa Ioannes indicia exhibuit, se parum Aluari integritati, etsi ea totâ in Lusitaniâ probatissima esset, fidere. Hæc omnia, eo animo rex moliebatur, vt Aluari famam, & auctoritatem, vel omninò deleret, vel magnâ ex parte collabefactaret; eoque argumento, Brigantini constantiam, & animi magnitudinem, quâ semel depressâ, quicquid optabat, facilè assequuturum se sperabat, frangeret. At proceres tot iniurijs

laces-

lacessiti, conspirationem machinantium, speciem præ se ferebant.

CAPVT XXIIII.

Montis Maioris Marchio liberè, & petulanter, in Regem Ioannem, querelas iactat.

MONTIS Maioris Marchioni, exilij caussâ, in Ioannem acriter commoto, pro querelarum lenimine, regem dicterijs proscindere gratissimum est visum. Nec conuitijs palam in Ioannem sæpissimè iactatis contentus; atrociora quàm fratres, qui tolerantiam inter & silentium, suam erga regem fidem, & integritatem comprobare solicitè studebant, in regis ruinam, molientis indicia propalabat. Brigantinus fratris audaciam, semel atque iterù, verbis non lenibus reprimere, dumque à sententiâ dimouere est conatus. Marchio Ducis consilia saluberrima contempsit, ad Regesque Castellæ,

tellæ, è familiâ virum præstantem à secretis, ire iussit, qui de recentioribus in Regem Ioannem querimonijs, à proceribus, sparsis, eos edoceret. Castellæ Reges voluptate maximâ, ob hanc rem sunt perfusi; etsi de eâ hilaritate, nil, ad Marchionem, certi nuntiari voluêre. Nam in rem suam attinere sunt arbitrati, si Lusitanum Regem, ob notam, cum Marchione, epistolarum, officiorūque vicissitudinem, solicitum, & anxium, quin in apertas simultates iretur, redderent. Neque enim tutum existimabant, in bellum spontè suscipiendum, adeò palam se proclinies fateri, vt nullus in posterum, sibi, inter gloriam, & infamiam, locus reliquus foret.

CAPVT XXV.

Exempla epistolarum à Brigantino, Regibus Castellæ, ad Ioannem deferuntur.

REGI his intento Lupus Figuredus, cliens Fernandi, quem ipse Brigantinus, scribæ de rebus ad opes suas attinētibus, munere

munere honestarat, superuenit, cum nonnullis epistolis à Duce Regibus Castellæ missis, è quibus Fernandi animus, à Rege Lusitano parum alienatus, vt delator aiebat, constabat. Ioannes Ficuredum ob proditionem humanissimè acceptum præmijs etiam auxit. Litteræ verò ab homuncione illo allatæ, ob solicitudinem, qua rex Ducis ruinam moliebatur, noxâ, si qua erat ob verba aliqua in ipsis reperta liberè prolata, multò plus sceleris continere sunt creditæ. Earum exempla ab Antonio Fariâ excerpta, apud eundemque, nam vnum arcanorum participem rex faciebat, asseruari iussum. Autographæ epistolæ, in scrinium, in quo repertæ fuerant, sunt restitutæ. Quod quidem non minus suspicionis, quàm ipsa delatio parere poterat. Ficuredi audaciæ, pontem alijs strauit, vt & ingenij malignitate, & præmiorum spe allecti, plures alias in Brigantinum calumnias, ad regem deferrent. Quibus motus Ioannes Ducem carceri includere statuit. Cum autem res maximæ, eâ celeritate, quâ animus appetit, effici nequeant, earum enim magnitudo in deliberando formidinē, formido moram, mora difficultates auget, minori molestiâ, in negotio decernendo, quàm in occasione, & opportunitate, quæ decreuerat perficiendi, quæritan-

dâ est affectus. Attamen alto silentio,& dissimulatione, in retam arduâ, valde necessarijs, interim, nequid consilium euerteret, pro regiâ dignitate tuendâ vtebatur.

CAPVT XXVI.

Inter Fernandum Castellæ, & Ioannem Lusitaniæ Reges, nonnulla simultatis indicia, Ducis caussâ, emersere.

PAVLO post ad optatum perducendi consilium animo, in Ducem, ac fratres, veluti prioris seueritatis pœniteret, humanissimum se, & beneuolum Ioannes exhibuit, vt eos hac arte, ad obsequium, fiduciamque alliceret. Interea certior effectus, à Castellâ procellam illam initium, & vires ducere, ob consuetudinis familiaritatem, quâ Reges Fernandus, & Isabella Ducem prosequebantur, eisdem timoris, & sollicitudinis maximæ argumenta parare

decre-

decreuit; eâque de caussâ statuit, vt Ioanna Excellens Heroina, à virginum cœtu, vbi vota solemnia emiserat, egressa, nullis seuerioris illius instituti legibus addicta, familiâ splendidissimâ, & cultu principis digno, vitam regiam ageret. Multòque plura in formidinem, & rerum nouarum metum dissipata sunt, cum omnibus notum est factum, Castellæ Reges, in Diuæ Matris Guadalupensis cœnobio, custodię tradidisse Petrum Montesinum, qui repertus fuerat, & interceptus à Fernandi exploratoribus, cum epistolis, & scriptâ directione Fernandi Gonçaluij Mirandēsis, Antistitis Lamesensis, sacelli regij, in Lusitaniâ, Protosacerdotis; Alfonsi Ferraræ Castellani; atque Aluari Lupij, regi à secretis; quibus ad Frācum Phœbum Vasconiæ Regem mittebatur, vt ei Ioannæ nuptias suaderet. Zurita refert Ioannem Castellæ Regibus, suâpte naturâ ita aduersum, vt nullâ arte ad beneuolentiam, in eos, multòque minus in Isabellam, cum quâ arctior sanguinis necessitudo erat, simulandam frangi posset; atque eâ de caussâ, iniquè horum regum prosperam admodum fortunam, in dies ad subliniora vocantem tulisse. Quibus felicitatis incrementis obuiam ire posse, si res nouas moliretur; Ioannâ in spem regni erectâ existimauit;

ideo-

ideóq; de hoc connubio, cum Rege Galliæ, Vasconum Principis auunculo, eo silentio, vt prius illius nexu, si fieri posset, Francum Phœbũ Ioannæ coniunctum, notum omnibus foret, quàm de hac re quælibet suspicio emanaret, agere cœpisse.

Hic rerũ status maiora pericula minari videbatur; iã enim diffidẽtiæ limites vtrique trangressi erant, & fœdera pacis, ad Morã oppidũ, tãto animorũ cõsensu icta, ex parte rumpi cœperant; etsi hos principes, in bellũ potius propensi animi indicia exhibere, quàm bellum ipsum inferre velle satis notum erat. Rex Fernandus à Lusitano, vt se eodem animo esse, in pacem tuendam, supplicio de paciscentibus Ioannę nuptias sumpto, ostenderet, per legatos postulauit. Ioannes illius consilij auctorem, tantam rem machinantibus conniuens, se explicuit; verborumque officijs, ab eâ nox â alienũ se fateri satis habuit. At Fernãdus offensionem prudenter dissimulauit, Lusitanus verò incœptum omninò sopiri est passus. Vterque enim, vt peritiâ militari inclytus, posse hostem percutere, alteri ostentabat, ab ictu infligendo abstinebat. Fateor Castellæ Regem, de Lusitani ruinâ, absque militum cæde, maximè solicitum; in eamque rem, ciuilibus discordijs,

vel

minorem curam de Principis Alfonsi filij, in Beatricis potestate constituti vitâ, quam solertiam, ne hac se formidine concuti in vulgus fieret, Ioannes haberet.

CAPVT XXVII.

Depositâ seueritate, humanissimum proceribus se exhibet Ioannes.

ELEONORA Regina, per id tempus, immaturum partum Almerini ediderat. In illud oppidum, vt regem ex infelici casu, in squalore, ac luctu iacentem, quibus par erat mœstitiæ signis salutarent, proceres conuenere. Rex eâ illos humanitate excepit, vt maiorem formidinem hac intempestiuâ clementiâ modo, quam antea solitâ seueritate, omnibus incuteret. Lenitas enim ipsa arte simulata, & diuturni vsus, quo carebat, fiduciâ destituta, se minus gratam, maximèque suspectam faciebat. Plures in Ducem Fernandum, per hosce dies, ad regem calumniæ deferebantur. Ioannis quippe animo, aduer-

aduersus Brigantinum cunctis iam propalata, qui se illius obsequio propensiores ostendere cupiebant, ingentis sceleris nomine, quamlibet Ducis, ad Castellæ Reges epistolâ culpabant. Atrocius tamen inter cætera visum est crimen, Fernandum sæpissimè, ne obsides restituerentur, antequam de eâ re quicquid decerneretur, operam suam, & opem interposuisse. In discrimen enim maximum nouerat se detrudi, Alfonso parenti reddito; eâque de causâ, argumentis in rem, vt sibi videbatur, vtilissimis, periculum propulsare nitebatur. Id Ducis conatibus iniquum contigit, sub rege in suspiciones facili, vindictæ auidissimo, Castellæque Regibus admodum infenso, de suâ incolumitate esse solicitum; quâ curâ id vnum se maximè optare, vt Ioannes solicitudine semper, & metu vexaretur, conijciendi potestatem faciebat. Brigantinum, nequaquam deleri obliuione vllâ odium posse, in eos, qui hisce vtuntur artibus, præcipuè apud principes, qui alterius imperij omninò ignari, & nati sunt, & enutriti, molestiasq; à ciuibus sibi illatas, iuxta magnitudinem, quâ fruuntur, iniquissimè ferunt; quâ de caussâ, eò in vindictam propensiores, quo ipsis de quolibet supplicium sumere promptius, aut fati nutu, aut illius æui candoris vitio latuit.

CAPVT XXVIII.

In gratiam cum Duce Fernando redire, vt tutius illius ruinam moliretur, Ioannes simulat.

REGIS ab ætate tenerrimâ animo, ergo Ducem Fernãdum, Lethiferum odium, vt patet, est inditum, vnàque cum annis incrementum cepit. Nec temporum vicissitudo ad delere, aut lenire potuit; auctoritas enim in publicis negotijs, & potentia, quam Dux sibi pararat, regis fiduciam, in solicitudinem; suspiciones, in regni amittendi metum; libertatem denique imperandi, in quandam veluti parendi necessitatem conuertit. Eum hostem opinabatur, nec arcana tutò committere tanto viro, nec ad obsequiũ, sine curâ asciscere audebat. Regis affectus primũ de periculo ipsum ad monuit, mox accusatores illius gnari tumultuatim in Ducẽ crimina deferebant. E. Cæsalla Baro multas Brigantini in regem offensiones attulit. Asserebat reges, ad omnia, quæ pro legationis munere proposuerat, responsis instructissimos, ex notitiâ earum rerum, Ducis operâ, præhabitâ inuenisse.

Plurimi

Plurimi his fidem adhibere, puerile, & vanum existimabant, nam differebant: *Regis dissimulationem, & silentium eiusmodi esse, ut nullâ ratione, ea quæ per legatum, cum Regibus Castellæ agere instituerat, Duci, quem iam pridem arbitratus suis rebus aduersum, communicasse credi posset. Eaque ad Fernandum, & Isabellam arcana, si ita constaret, delata, nec conspirationis indicium, nec perfidiæ notam continere. Nimiam principis diffidentiam censeri, qui ciuis sui quaslibet actiones scrutaretur, minimaque illius errata scelus maximum existimaret. Ex*

hac enim solicitudine, & conatu patère, in eam solùm curam esse intentum, vt Ducis potentiam, ac totam Brigantinorum familiam euerteret.

Nec id Regem Ioannem latebat, sibique necessarium est arbitratus, Ducem in spem erigere, atque in gratiam se cum eo redire, dum Alfonsus filius in potestate Beatricis esset, simulare. Hoc animo Brigantinũ, ad se, remotis arbitris, ascitum in Almerinensi secessu, his verbis est allocutus:

Caeterorum hominum consilia, in ipsorum commoda vergere semper solent. Principum tamen fortuna longè est diuersa, quorum actiones famae, de iisdem liberum iudicium ferentis trutinam respiciunt. Ex multis indiciys accepi, te à fide mihi debitâ, non parum deficere; nam in

in sempiternum nominis tui, & opinionis dedecus, officia arctissimè connexa, cum Regibus Castellæ, in mei ruinam, exerces. Pudet hæc recensere, scelus enim à te in me commissum, me ipsum proprio periculo multò grauius vulnerat; nam ob necessitudines, quibus copulamur, idem pene dedecus vtrique, ex alterius noxâ minatur. Ciuis nostro imperio parentis fortunam superastis; affinis tam arcto vinculo coniuncti, vt ex duabus, ab Infante Fernando, genitis virginibus, alteram ego, tu alteram duxerimus, sortem attigisti. Fateor nil esse in rerum naturâ ita subli-

sublime, ad quod tuis virtutibus, iter tibi facillimum non parau eris. Doleo tamen earum splendorem, à te modo, inani quâdam libertatis vmbrâ, cuius infamia, nunquam delebitur, maculari. Præteriti tẽporis exempla famam Lusitanæ gentis maximè commendant; ne patiaris, apud posteros, huius gloriæ faces, tuæ ingnominiæ nebulâ offundi. Vix aliqua ex ijs, quæ ad me deferuntur, fide digna censeo. At tamen fidei conditio ea est, vt & dubitandi caußâ offendatur. Neque enim scelere solùm, verum etiam suspicione criminis, vir optimus, & à perfidiâ alienus, careat

est

est necessarium. Ea quæ in comitijs sunt decreta, ijs in vrbibus quæ tibi parent, exerceri, non eo inficias, optaui; exempli tamen caussâ potius, quàm corrigendi animo; cum enim secundus in Lusitaniâ à regessis, te obsequente, leges à nobis latæ, vim maximam, & auctoritatem, sibi vendicabant. Has tibi ingratas admodum esse sentio, earundem lemine, nequid molestiæ accipias, huic dolori occuram. Attamẽ si mihi, Dex credis, nullũ est periculũ, quod solicito, & vigilantissimo principi officere possit; ipsa enim discrimina eũ tuentur, temeritasque magis perfida, cult...m,

& venerationem adhibet. Denique id vnum à te expendi velim, in priuatis negotijs, pedem referre, magis minus vè tutè, iuxta fortunæ leges, fas eße; iis verò qui de mutandis imperijs cogitant, nullum esse reliquum locum, inter fastigiũ sublimius, & infimũ præcipitium.

Eâ constantiâ, & tranquillitate rex sermonem fecit, vt Fernandus illâ serenæ frontis specie deceptus, in hanc fere sententiam, quâ semper vsus est fide, vt sentit Pina, responderit:

Si aduersariorum conspiratione, fictis criminibus me onerante, nec mei animi sinceritas, nec quâ integritate, hactenus vixi, in propulsandam iniuriam, locum tenent; cælitum, quibus omnia patent, numen

men obtestor, per omnes vitæ meæ periodos, fide summâ te semper coluiße. Alio iure angustiore, ciuis videlicet regi parentis, maiores tui, à meis progenitoribus, magnā imperij, quo frueris, partem acceptam fassi sunt. Cum verò sequenti æuo, vtrique, & amore, & sanguine inter se iungerentur, cum ipsâ Brigantinæ familiæ amplitudine, hereditario veluti iure, amoris in te, & cultus stimuli non leues ad me peruenerunt. Cæteris ita me obsequij curâ, quam propinquitatis fortunâ antefero; amorem verò beneficio parem, cultum tuis, & maiorum in me meritis dignū

 sem-

ſemper oſtendi. Te pro earundem rerum memoriâ decet delationibus in me confictis fidem denegare; eaſdem referendi poteſtate aduerſarijs ademptâ; nullius enim magno animo præditi virtus diu ſplendeſcere poteſt, cuius fama perfidiæ notâ oblinatur, nomenque à ſcelere alienum, inter criminum omnium labibus coopertorum nomina verſetur. Verba à te prolata, fidei, quâ te proſequor integritatem atrociſsimè lædunt; nullaque iam mihi tantum crimen purgandi facultas, ex quo ſiniſtre de meo animo ſuſpicari æquum putaſti. Veniam, obſecro, concedas, ſi verba nonnulla dolo-

doloris impetu concitatiora præferam; semper enim decus imperio, & facultatibus antepoſui. Ex hac horâ omnia Brigantinæ familiæ ornamenta, & emolumenta, ſupplex tuis genibus, relinquo, iiſq; libentiſsimè tibi cedo. Hilarem vitã agam, opibus amiſsis; diuitijs enim beari, inter præſcriptas claritudinis leges, locũ nullũ tenet, dũ meo officio, & fidei in te exhibendæ nũquã defuiſſe credar. Si cõmercium cũ Regibus Caſtellæ familiarius à me inſtitutum, crimen maximum tibi cẽſetur: propinquitati, quâ illis iunctus es, errati huiſmodi cauſſam adſcribito. Ex hoc enim fonte,

quæ

quæ inter nos sunt mutua officia, defluxêre. Quid in hac familiarissimâ epistolarũ vicissitudine, fraudis sit, àb eiusdem effectibus æstimes opto. Quas tibi insidias tetendimus, effare? Si legibus à te latis restiti, eo animo, vt priuilegia à tuis maioribus, qui sẽper de Reip. commodis maximè soliciti fuerũt, concessa tuerer, id negotium suscepi. Si in eâ re ventilandâ, licentiâ aliquâ, & pertinaciâ vsus sum, quemadmodum omnibus inditum est, àb ipsâ naturâ, regibus morem gerere, ita eorum interest, ciuem, aut clientem nudè perspiqueq́; veri libertatem, & multarum rerum

pru-

prudentiam, in rebus ad regis auctoritatem pertinentibus, præferentem, æquo animo pati. Imò potius præmia etiam, & honores, quo uno regia domus splendore, & magnificentiâ optimorum morum maximè floreret, in eos decernere oportebat, qui verum circa negotia præcipuè ambigua, & magni ponderis, in quibus silentium regũ maiestati, aut Reip. incremento nocere posset, erectâ ceruice, ac liberâ contentione enuntiarent. Quâ me spolias, opinionem, & famam, Rex optimè, cumulatè restitue, nã affirmare ausim æquè tuo nomini dedecus, ex latâ in me sceleris insimu-

simulatum sententiâ, quam ex audaciâ, quæ à te aduersarijs, facultate has nugas, vt crimina atrocissima deferendi præbitâ, iniuncta est, parari. Semper enim, quâ afficior iniuriâ, pluribus, in toto terrarum orbe, encomijs, vt extollar efficiet, cùm innotuerit nullâ aliâ caussâ, nisi animi mei integritate, & ardentissimo in te amore niti.
Hæc verba à rege patienti animo, & nonnullis timoris indicijs excepta sunt; dissimulationique adiecit humanitatis, & beneuolentiæ speciē. Tādem Ducē est complexus, atque ardentissimo erga illū amore flagrari, præ se tulit. Fernandus (qui finis omnium cum dominante) grates egit, quâque solebat fide, regem in posterum nihil immutatâ, etsi reconciliationi parum fidens, coluit. Nec alius effectus fictā hanc animorū concordiā est sequutus, quā odiū vtrinq; concitatius, ac diffidētia, (quod ferè cōmune est, in amicitiæ malè

ſatæ ſimulationibus) nequid niſi præmeditato, invitæ etiã cõmunis ratione fieret, donec oblata occaſio hoſtẽ deijceret, atq; funditus euerteret.

CAPVT XXIX.

Pertinacia Ioannis, in procerum auctoritate minuendâ.

QVanuis legum in comitijs editarum moderationẽ rex fuerat pollicitus, nihilominus, in eaſdẽ exequẽdas curã maximã adhibuit; in pertinaciã enim durare, animi magnitudinẽ exiſtimabat; proceres verò neceſsitate adacti, ad iniuriã propulſandã impellebantur. Ducẽ à curâ alienũ eodẽ tempore, eſſe iuſsit, quo proprætoribus, vt Dynaſtarũ oppida ingrederẽtur, edixit. Fratres Brigãtini, cũ eodẽ, & Viſenſi Duce, in decretũ à ſe locũ coacti sũt, atq; inter omnes, re maturè vẽtilatã, ſedit, vt demũ totis viribus, vi, & iniuriæ à rege illatæ repugnarent. Regi de hoc cõcilio eſt renũtiatũ, iuxtaq; cauſſas, quibus hũc animorũ, inter ſe cõſẽſũ adſcribebat, palàm, & in vulgus edebatur: *Regi hãc inobediẽtiã eſſe gratiſsimam, vt illius prætextu, in ea quæ decreuerat, tutè per agenda, vtere-*

vteretur. Velle enim potius, vindictam sumere, quam corrigere. Illi notum satis, difficillimum censeri, legibus, quas promulgarat, obtemperare; eáq; de caussâ, vt proceres, hoc crimine obiecto, digni supplicio existimarentur, optare; ne in totius orbis conspectu, quando omnes mortales; in nil aliud oculos, animosque intendebant, nisi vt cõtrouersiæ huius finem intuerentur, nominis, ac famæ iacturã faceret.

CAPVT XXX.

Ducis Brigantini fratres, inter se, de medelâ harum calumniarum consulunt.

INTEREA Marchio Comes ſtabuli; Faroënſis Dynaſta, & Aluarus Portugallenſis, in cœnobium D. Hieronymo ſacrum, ab Ebora vrbe mille paſſus ſitum, vt de rebus ſuis, pro dignitate conſulerent, ſe contulere. Regis indignatio homines territabat, ac veluti necis omnium præſaga, periculum cauerent, ſuadebat. Cum verò ex Ioannis diſsimulatione, & ingenio ſatis notum eſſet, ſuam ipſorum ruinam nullo alio differri, niſi obſidum retentione, quatenus Princeps Alfonſus in Beatricis eſſet poteſtate; & tempus eum parenti reſtituendi appropinquaret, primâ quâ licuit, poſtquam in cœnobium peruenêre, die, corā fratribus Comes ſtabuli, ætate maior, & pluribus iniurijs laceſsitus, in hūc modum diſſeruit: *Rem eò adductam, vt, verbis depoſitis, opus eſſet, de ſuâ ipſarum incolumitate, manu, audaciâ, & vi agere; nihil enim aliud vtile, iā propalatâ principis excandeſcentiâ, inueniri poſſe; ipſummet periculū, cōſilio capiendo viā aperire.*

L De

De exilio sibi indicto, caussisq; ob quas innumeris molestiis afficeretur, & odio illo innato, quo rex Brigantinos prosequebatur, multa addidit.

Nullam sibi, & fratribus reliquam esse spem, in Ioannis animo, neque enim offensionum vnquam memoriam depositurum. Nam principibus in more esse, in ciues quid peccasse semper inficiari, odij verò letiferi, aut amoris eximij affectu, in sua negotia per agenda ferri. Quid vltra opperimur, inquit, *ò fratres optimi, quid opperimur? Anne regem qui nos timet, de sui animi sententiâ vos celare arbitramini? Si ictum differt, veniam minimè concedit, in vindictam sibi dari facillimam*

 occasio-

occasionem vobis exposcit. Velim mihi ipsi dicatis, vtrum possit aliquis in quaestionem vocare, expediat ne tyranni iniurijs obsistere, nullâ interim de sacrosanctâ regis potestate, quam perijsse infertur, curâ retardante? Quod nomen, rogo, Ioanni cum de vestro interitu saeue cogitat, de facultatibus, à maioribus nostris acceptis, diripendis, contra fas est solicitus, consentaneũ esse creditis? Eodem tẽporis momento, quo vi, & iniuriâ nos premit, à regis munere decidit; leges Caesareae priuatũ censent; rabidã feram diuinae; contra hanc cõmunis hominũ consensus, in Reip.

tutelam, ciues etiam obarmât. Ab ipsâ naturâ inditum nobis rationis lumen, vile à pretioso distinguere prædocet. Hinc patet libertatem Reip. cuius salus lex est suprema, in cuius que tranquillitatem regia potestas fuit constituta, cæteris omnibus præferendam esse. Maiores nostri Sancium Cucullũ, ignauia illius, in moderandâ Rep. nomine, è regiâ dignitate eiecêre; nos verò iniurijs maximis lacessiti, priuilegijs nostris antiquatis, amissis opibus, vitâ periculis assiduis obiectâ, patimur, & silemus? Quousque fratres, quousq; sopiti, vanâ obsequij specie, nec rationis acu-

acumine, nec sumendæ vindictæ occasione erecti, in meliorem spem incubimus? Reges Castellæ, arctissimâ sanguinis necessitudine nobis deuincti, vt familiæ Brigantinæ opitulentur, soliciti, ac prōpti sunt. Lusitaniæ proceres medelam labēti Reip. postulant. Ioannes sub ipsa regni initia, vix regiam maiestatem delibauit, ciuium animi à rege auersi censentur. Si his omnibus, ad vitandum periculum allicientibus, pigri adhuc estis, adducor penitus, vt credam id vnum opperiri. vt iste famæ nostra tyrannus, nostro cruore sæuitiam suā pascat; communique nostrū omnium ruinâ

na, odio semel concepto indulgeat. Faronensis Comes, & Aluarus Portugallensis, animi adeo effrænati, & temerarij sententię, cōstantiâ maximâ, & fide obstitêre. At Marchio, inter iræ stimulos, & cupiditatem vindictæ, repetitis sæpius, quibus afficiebantur Iniurijs, in suam opinionem, fratres trāhere conabatur.

Tandem Aluarus Portugallensis, in hunc modum Marchioni respondit: *Vellem equidem silentio sopire potius, quam leni oratione, quæ es præfatus in regem, perstringere, ne fidei à te Ioanni præstandæ notam fœdiorem incurrerem; vt que temporis spatio, in pœnitentiam concesso, resipisceres, & rationis splendore, iræ scintillas dissipares. Attamen quæ inter nos est sanguinis cōiunctio, nequaquā patitur, te á fratre tui studiosissimo, verbis saltem amarulentis, ob amen-*

amentis penè orationis, qua vsus, stilum, non taxari. Miror sanè te vilius sanguinis, quem pro rege fudisti, & vitæ, ad hoc vsq; tempus, summâ cum virtute actæ esse oblitum. Vtrumq; enim si memoriâ retineres, minimè his verbis conspurcares. Dicas, quæso, regis noxæ quā nostrū officio imminutionem attulit? Querelas repetere, nobis iure, & æquo licet; perfidiā meditari turpissimū. Periculū nè in accusationē vertere, an regis irā, nostro cum dedecore, inuidiâ exonerare appetis? Fateor maximum nobis periculum imminere, integritatem nostræ familiæ notissimam censeri,

timoris semper, & curarum æstu concuti; attamen si periculum fugâ, aut alijs facilioribus remedijs vitare possumus, quâ arte, conspirationem hanc, famæ perniciosissimam, à crimine absoluemus? Regis vita Reip. salus, & felicitas est; multóq; pluris priuatorum hominum incolumitate æstimatur. Minus incommodum est, semel atque iterum, iniuriam æquè ferre, quã regnum capite spoliatum, tumultibus, & ciuilibus discordijs obijcere. Nec expedit, vt nostris commodis seruiamus, periculis atrocioribus præstantiorem partem nudã relinquere; famæque pretio, infamem

mem vtilitatem aſſequi; & Reip. totius ruinam; dum ciuium paucorum ſaluti proſpicimus, noſtrâ curâ machinari. Quid maiores noſtri, Sancij Regis, de quo, in tuâ oratione, argumentum fecisti, inertiâ moti, pro patriâ incolumitate deliberarunt? A Põt. Max. opem ſunt precati. Ciuium intereſt, principes etiam iniquos, ad quos hæreditario iure regnum deuenit, colere, optimos amare, improbos æquo animo pati; quicunq; enim ſint, è cælo nobis, vel ſupplicij, vel beneficij cauſſâ, impoſiti creduntur. Idem animorum habitus, eademque fides eluxit in ci-

 uibus,

ubus, & regnante Dionysio optimo Principe, & ad imperiũ euecto Fernando, eius pronepote. In tumultus excitandos nil momenti, tam illius virtus, quam huius vitia attulère. Optimum arbitror, fratres, de vitâ conseruandâ agere; præstantius tamen existimo, si decus, & ornamentum à maioribus acceptum, ab omni prorsus perfidiæ infamiâ tueamur. Esto, Ioannes Rex nobis ruinam, dissimulatione, & fraudibus paret, illius impetum effugere, hominis sapientis consilium censebitur; nam aliter pro vitâ decertare dedecus est; honestius verò esse, in fide

occumbere, quam perfidiæ notâ iniustùm vitâ frui, semper sentiã. Neque enim àb alijs, post patratum scelus, quam àb ipsis, qui nobis fuerint opitulati, inuidiâ diuturniore cumulabimur. Hæc, alia que similia argumenta, Marchionis iratum animum pacarunt; primoque illo impetu sedato, communi consensu decretum, vt Aluarus Portugallensis iterùm regẽ adiret, àb eoque euixè contenderet, controuersias illas, à iurisperitis doctoribus examinari pateretur. Brigantinus huius sententiæ certior effectus, in eam statim inclinauit, Marchionemque ob ea quæ anteà blaterarat, seuerissime est cauillatus.

CAPVT XXXI.

Ioannes humanitate simulatâ, de Ducis cæde, citra suspicionem hominum deliberat.

ET humanitate Aluarum rex excepit, vt facillimò eius ingenium agnoscentibus audem illis blanditijs subesse patêre posset. Nam quicquid is depopolcerat, magnificentissimè protinus concelsit; decretaque in comitijs promulgata cessare iussit. Ad hæc benigna verba, frontem hilarem, amplexus, ac plures alias illecebras adiecit. Curam hæcce fratribus addidere; inde enim coniectoram verisimiliore, regis animi, in Brigantinæ familiæ ruinam, humanitatem illam, ea præcipue tempestate, quâ Reges Castellæ, ob Excelientis Heroinæ negotia, belli in Lusitaniam caussas meditari ferebatur, simulantes faciebant. Castellæ Reges, totis viribus id vnum adipisci conabantur, Ioanna videlicet vitam ageret, sub potestate Ducis Fernandi, aut cuiuslibet ex eius fratribus, qui eandē iuxta præscriptas fœderis leges, à nouis rebus auerteret; & si fieri posset, ad vitā sanctiorem, in virginum cœtu amplectendam adigeret. Nam Ioannâ, splendidiore cultu, vtente, facillimum esse res turbari, & indiscrimina maxima coniici existimabant. Ioannes in hanc conditionem, nullâ vnquam de caussâ esse flectendum significauit. Nec solum Ducem huius rei auctorem censuit, verùm etiam metu, cuius stupore quicquid

quid ipsi mente agitamus, verum esse asserimus, perculsus; omnes illius actiones sinistrè interpretabatur. Nec vacare arcano Ducis consilio, Regem Fernandum, per id tempus, iniquius ferre, à se Excellentis Heroinæ seueriorem vitam improbari, suspicione est assequutus. Nam Ioãnes imperium adeptus, memor sæuitiæ, quá Principem illam, Alfonso superstite infectatus fuerat; libertate modo concessâ, & splendidissimo cultu exhibito, iniuriam lenire conabatur. Magis tamen vero consentaneum existimo, temporum calamitatem in caussâ fuisse, vt Ioanna in diuersas partes, & vitæ conditiones, theatri veluti huius orbis fabella rapetetur; dum principes de suis commodis soliciti, illâ quasi instrumento, in eadem comparanda vtebantur. Nec illam, aut amore, aut odio prosequi sunt visi, nisi quatenus iisdem affectibus, sibi gloriam, & emolumentum comparabant.

CAPVT XXXI.

Dux Fernandus Principem Alfonsum, à Morâ Eboram petentem comitatur.

Inte-

INTEREA dictis, inter Reges Fernandum & Ioannem, pacis côditionibus, decernitur, vt vriusque liberi à sequestrio tandem in libertatem restituti, parentibus tradantur. Ioannes legatos Moram, vt Principem Alfonsum in regiam reducerent, Petrum Norog[illegible]iam, familiæ regiæ Præfectum maximū; Antonium, ex Diui Francisci asseclis, sibi ab arcanis mentis ex piandis; Ioannem Texeram Lusitaniæ Cancellariū; ac denique Rotericum Pinā, qui à secretis in legatione munus exerceret, confestim misit. Legatis Morā tendentibus obuiā fit Dux Fernādus; pressoq; animo mœrore, ob obsidū restitutionē quo vnico fulcro tutus censebatur, sibi indito, spei, & fiduciæ simulatione, ex industriâ, plenus, postquā breui oratione, querimonias nonnullas, in suspicionē, quâ sua ipsius fidem rex dubiam arbitrabatur, liberè fudit; sibi placere, Principem ad parentē reducem, officij caussâ comitari asseruit. Ducis animus in id erat intentus, vt hisce officijs, & obsequij indicijs, à legatis disceret, quem in se rex affectum seruaret. Attamen illi, Ducis consilio artificiosè laudato, minimè vt præstaret officium illud Principi, apertè, rege inconsulto, suadere ausi sunt; vel enim obsequij, atque etiam lenocinij materiā, ex euentus huiusmodi indicio,

facere

facere arbitrabantur; vel, Ioannis ingenio perspecto, existimabat, fore vt in culpā verteret hoc mutuum, cum Duce commercium; quippe nil eā tempestate, periculosius, consuetudine, & familiaritate, cum Brigantino; eâque de caussâ cuncti ferè homines, ab eâ, veluti à loco, fulminis ictu, sacro discedebant, præsagientes minimè tutū in eum fidē, & obsequium, pro veteri necessitudine, in quem aduersi animi indicia rex ediderat, exercere. Nā inter cætera mala, & contagium potentioribus infensos atque ingratos inficit.

Custodiæ Ducē tradendi consiliū multò ante Ioannes probarat, atq; etiā cum nonnullis è Consiliarijs communicauerat. Id'q; decretum, summâ industriâ, vt ipse fatetur Relendius, dissimulabat, obsiduin adhuc durante fœdere, & à suo cōspectū, Principe Alfonso longè posito. In eandem cu rā multò acrius ferebatur, notâ hac Ducis, in obsequiū Principis, proni voluntate; cum enim necessarium esset, vt Alfonsus per oppida Duci parentia, iter faceret, vix tutum hospitium nato arbitrabatur; nunquam enim eatenus Brigantini arbitrio Principem ita fuisse expositum censebat. Facto verò huius solicitudinis indicio verebatur, nè Dux in suspicionis animo suo concepig, cuius forsitā ignarus omnino esset, notitiā

inci-

incideret. Itaque Ioannes, hos inter angores, suæ prudentiæ, & industriæ fidere statuit; datisque ad Petrum Noroguiam litteris, pro nuntio, de Ducis in Principem officioso animo grates egit, & multis verbis ad rem effictis, voluptatem maximam se, inclinante Duce in id, vt Principi Comes Eboram tenderet, percepturum significauit. Causatus est morbi, quo Dux Brigantinus ferebatur impeditus, notitiam, quominus eum, ad hanc rem inuitare ausus esset, ne forte quid, ex agitatione assiduâ, grauioris detrimenti caperet.

Testis est Resendius Ducem, hac epistolâ, velut datâ regiâ fide deceptum, ex Infantis soceri, Ducisque Visensis leuiri, cum quibus eam communicauerat, consilio, sese comitem Principi dedisse; atque in multis ex oppidulis suæ ditionis, sedulo in illius aduentum, solemnes edi ludos, & publicas hilaritates imperasse; vt hac in regiam stirpem, animi tranquilli manifestatione, à Ioannis pectore conceptam semel de suâ fide opinionem sinistrâ amoueret. Frustra tamen; cum enim regis animus diffidentiâ, ex suâmet imbecillitate potius, quam ex aliquo Ducis crimine ortâ, illi infestus redderetur, nullus erat hisce indicijs, integritatem pandendi locus.

Vrbe

Vrbe egressus Ioannes, ad tertium, aut quartum lapidem, natum excepit, hilaritate maximâ perfusus. Verùm, nec illius vis, quam in Brigantinum sæuitiam iampridem concoquebat, lenire vllâ ex parte valuit. Eodem illo in loco, si Ducis constantia maxima, & tranquillitas, ab eo proposito regem non auerteret, in eum vincula inijci iuberet. Nam in hanc rem, non exiguam militum, tectis armis, munitissimorum manũ eduxerat. Tabellarios ad Ducem plures, á fratribus, alijsque proceribus missos, in hoc itinere peruenisse, cum epistolis ferunt, quibus sedulò monebatur, periculum caueret, vrbem nequaquam ingrederetur, regem quâcunque occasione vitaret; vel enim ex formidine periculũ præsagiebant, vel maturiori quâdam prudentiâ, ne incautum Brtgantinum inuaderet, solicite præcauebant. Non desunt, qui existiment, ad eos notitiam cohortis à rege instructæ deflu-xisse; nam facilè, tot rei conscijs fuit, rumorem illum spargi. Omnes penè mortales Ducis constantia in admirationem rapuit, qui tot epistolis, ab amicis, id vnum curantibus, & suadentibus, vt periculum effugeret, acceptis, minorem quam anteà solicitudinem, nihil verò formidinis, fidei, quam sanctissimè, á perfidiæ

solertiâ, & timoribus alienus semper coluit, integritate nixus, ostendit.

CAPUT XXXIII.

Ioannes Ducem Fernandum, in custodiam, industriâ singulari tradit.

PRINCIPE Alfonso parenti restituto, nil internalli Ioannes, inter hanc lætitiam publicam, & Ducis ruinam ponendum censuit; vt ab illâ, quâ maximè cruciabatur, curâ tandem exsolueretur. Intereà plures de sui ipsius periculo nuntij ad Brigantinum veniebāt; neque enim per totam Lusitaniam, atque adeo in ipsa vrbe Eberâ, quid in ore hominum, per id tempus, nisi regis in Brigantinorum calamitatē affectus animus, versabatur. Solus Dux Fernandus, fracti orbis ruinam sibi imminentem impauidus sperabat. Ea erat fidei integritas, & sanæ conscientiæ fiducia, quæ duæ res multis sæpè exitium attulêre, vt necem formidini, securitati cōstantiam anteferret. Constat sanè hanc tragœdiā, si Bri-

si Brigantinus in tutum aliquod, & munitum præsidium, hoc rumore sparso se reciperet, in aliud tempus commodius differendam fuisse. Nullum enim auxilium, aduersus minantis fortunæ ærumnas, opportunius prouidentiâ, quæ in omnes simul partes, consilij, & tutelæ munimenta parat. Quinq; iam dies elapsi erant, cum Dux in Villam Vicosam, peculiare Brigantinæ familiæ domicilium reuertere deliberat, regem adit, die Veneris, 4. Calendas Iunias, postulat commeatum. Ioannes, cum Consiliarijs, publicis negotijs erat intentus; Ducem ad se venientem perhumanè excipit, sedere iuxtà, vultu sereno iubet, cum eo, quæ agebantur, communicat, nonnulla ex hominis cōsilio decernit, tandem cœtum dimittit, remotisque arbitris, Ducem familiarissimo sermone, ad spē, & animi tranquillitatem inuitat. Tunc Brigantinus fidem suam, amorem, cultum, erga regem, multis verbis commendauit; & dolere se maximè testatus, in sui infamiam, contra ius, & fas, suspiciunculas quasdam grassari. Deniquè à calumnijs, aduersariorum datâ opera, confictis se purgauit; regemque precatus est, de hisce omnibus certior, seposito quocunque affectu, iuxta æquitatis, & prudentiæ leges redderetur. Ita breui faciendum

Ionnes respondit. Confestim in editam turrim, cum Duce pariter ascendit, in eâque Brigantinũ in custodiam, nonnullis equitibus reliquit.

Paullò post, etsi noctis tenebræ quietem, & silentium suadêrent, Consiliarijs ascitis, quibus causis, vt Ducem carceri includeret, motus esset, palàm explicauit. Illi silentio maximo, atque etiam plurimis timoris indicijs, regem auscultarunt. Vt primum Ioannes conticuit, aliqui, quorum nulla in virtutis facibus spes, omnisque beneficia à rege extorquendi ratio, in optimorum ruinâ erat collocata, Ioannis curam vilissimâ palpatione præoccupantes, ipsum sunt obtestati, caueret, ne vllâ ratione Dux custodiam falleret; illius oppida, & vrbes confestim regio præsidio munirentur; ad Castellæ Reges legati irent, qui ipsos de his omnibus, certiores facerêt, nequid incommodi, ex vicinis Regibus, Duci propinquis, si ipsis inconsultis, quid grauius decerneretur, in Lusitaniam emanaret. Mox Ducẽ Visensem Leuirum, cuius fidẽ iampridem dubiã, Ducis Fernandi casu magis præcipitẽ fore suspicabatur, in reginæ cubiculum asciuit; ipsumque conscium veluti perfidiæ Brigantini, cui soror altera, Visensis, in matrimonium contigerat, vultu tetrico, durissimis verbis, & minis castigauit,

atque

atque vt resipisceret monuit; veniam de præterito crimine, & teneræ illius ætati, & arctissimo affinitatis vinculo, dare est testatus.

CAPUT XXXIIII.

Plebecula, & impostorum turba, de Ducis casu, Regi Ioanni adulatur; proceres illum in libertatem restituere sunt conati.

FAma in vrbem dissipata Ducis periculum, formidinem, & stuporem omnibus primum incussit. Mox idem metus lætissimam frontem, cunctis, qui ad lenocinium propiores, indidit. Rex sollicitudinem maximam hac ecce frontis indicio celabatur; tunc vero eo acrius, quo à plebecula vehementius consilium hoc probari conspicatus fuerat. Ij enim homunciones, qui ex herbis, & quercu nati, nil aliud quam voces, & clamorem venditant, tumultuatim regiam circumstantes, dissonis verborum rudium modulis,

duli, suum in regem affectum, cuius inter cæteros Lusitaniæ Principes Ioannes maximam partem semper obtinuit, testabantur, quòd eo periculo liberatus, hostem ipse suum iam vinculis coërcuisset. Ex equestri ordine nonnulli, plebeis quibus regi hilares occursabant, modo consilium laudantes, modo querentes, eâ regis deliberatione, ereptam sibi, quam maximè exoptauerant, Ioannis hostem trucidandi occasionem.

Attamen hæc inter palpationis officia, etiam veræ amicitiæ virtus locum suum est assequuta. Nec illam diuersâ fronte Ioannes excepit, àb eâ, quâ adulationes hauserat; nam se ita gerere, sub ipsa adhuc initia dubia, ad emolumentum, in quod principes maiori curâ semper inuigilant; maximè idoneum est arbitratus. Plurimi ex proceribus, regem conuenére, nonnullis pro Ducis libertate, conditionibus propositis; vel de illius incolumitate, tanquam in quâ eorum omnium salus vertebatur, cum eundem dignitate à rege secundum, potentiâ, & opibus patriciorum primum venerarentur, atque adeò eo contrito, aut interempto parum spei sibi reliquum existimarent, soliciti; vel, quod potius in caussâ fuisse dixerim, de fide, & præstantiâ Brigantini certi, quod palàm manifestarunt, cum

se

se ipsos, facultates, oppida suæ ditionis, & cætera fortunæ ornamenta, ingenti fiduciâ, atque etiam pertinaciâ, pro vnius libertate, regi obtulêre. Ioannes proceribus humanissimum se præbuit, & licet conditionem admittere non sit ausus, æquo vultu sermones illos auscultauit, nullâ in hac parte animi significatione datâ, quamuis concordiæ spem, ne tot viros clarissimos desperatione irritaret, verbis ambiguis fecerit. Hæc omnia callidissimè fingebantur, vt animi paullulùm quiescerent, donec Brigantini oppida, regis satellitibus traderentur; & quid pro Ducis caussâ Castellæ Reges noui decernerent, vndè acrioris solicitudinis motus defluere posse, ex familiarissimo eorum cum Duce commercio coniiciebat, sibi certò patêret. Tutissimum, his expensis, existimauit, in quemcunq; euentū, cōditionibus à Dynastis obiectis, nec omninò repudiatis, nec penitùs admissis, suis commodis pro vtrâq; parte esse intentū; vt siqui tumultus, sumendi de Fernando supplicium, occasionem è manibus eriperent, consilium interpretandi, & antè sumptam deliberationem verbis leniendi, facultatem, regiâ maiestate incolumi, haberet; si verò cuncta tranquilla, & tuta sese ostenderent, quod destinauerat animo,

exequeretur. Intereà res ex Ioannis optato felicissimè geritur. Castellæ Reges consilij, & perfidiæ Ducis, quæ rex suspicione sine caussâ cōceperà, omnino ignari, nil noui sūt machinati. Ducis verò vrbes, oppida & arces, vtpote hominis, qui præ cōscientia eâ fore, nil discriminis sibi impendere metuebat, præsidijs nudata reperiuntur; eâdemque de caussâ, arcium, & oppidorum præfecti, nec tesserâ postulatâ, ijsdem, regijs procuratoribus libentissime cessére.

CAPVT XXXV.

Catholicorum Regum, in Ducis caussâ, prudentia singularis, alijs ignauia existimata, perpenditur.

INGENTI solicitudine, postquam arces Brigantini, suis præsidijs teneri didicit, rex est liberatus. Neque tamen ausus de Fernando, Regum Castellæ in Ducem affectu, non adhuc sibi satis perspecto, supplicium sumere. Igitur libertatis amplioris parandæ caussâ, in nego-

negotio ita arduo, illorum principum, quorum actiones intentè semper rimabatur, animos explorare decreuit. Ad eos cum litteris, è regio sacello presbyterum virum probum misit. *Se Brigantinum custodiæ tradidiße non admodùm distinctè referebat; nec rei adeo nouæ caussas perspicuè declarabat; imò potius significare videbatur, crimen leue esse, nec illo supplicium acrius futurum, temperaturâ magis clementiæ, quam sæuitiæ legibus desumendum. Ad calcem officiorum montes cumulabat. Inter hæcce imperia propinquitatis, & amoris vinculis altius repetitis fiduciam maximam sibi esse in Catholicis Regibus, ad quælibet ardua propulsanda,*

da, verbis plurimis & pulchris aßerebat; proijsque beneficijs, quæ nunquam acceperat, grates maximas habere testabatur. Quâ peroratione facilè ijsdem suasit, nihil in illâ epistolâ, nisi fraude confictum, & ex diffidentiâ ortum contineri. Zurita in eam sententiam inclinat, vt existimet Reges Castellæ, eodem penè stilo vsos, rescripsisse: *Ingenti quidem dolore affici se simulantes, ob domesticas Lusitani (quas ipsi semper fuerant moliti) discordias, & infortunia. Attamen ne Ducis obliuisci viderentur, addidisse: nequaquam fas eße, vt supplicium, tot officijs, Portugalliæ Regibus Duci Fernando, Reginæ Castellæ matris patrueli obstrictis, clementiæ*

mentiæ fines, amoris, & neceßitudinis vincula, pœnâ conterente, excederet. Idque minus licere, quarum Dux Fernandus insimulabatur, offensis, vt ipse rex fatebatur, atrociores sæuitiæ ictus minimè promerentibus. Sibi gratissimum fore, si Ioannes ad eos legatum, qui de hisce perspicuè, & latissimè dissereret, cuique tutò quid ipsi in eâ re sentirent, vt tanto regi, & consanguinitatis vinculis arctissimis iuncto, & firmissimi amoris nexu copulato, id pro se referret, quam primùm mitteret. Sententia huiusmodi verborum, vt patet, ne propensio-

pensioris in Ducē amoris affectum, nec pro illius periculo, concitati animi motum indicabat. Cumque principum officia ferè in nil aliud, quam in sua ipsorum commoda exerceantur, neminem iudicijs notâ vigentem, Regum Castellæ in Ducem animus ignauus fallebat; imò omnes penè prudentiâ instructi, eam solertiam iniquissimè ferebant, differentes: *Optimè quidem, pro Brigantinorum officijs memores se, & gratos Castellæ Reges præbêre; qui & plurimis amoris indicijs, & arctissimâ sanguinis necessitudine, Ducem sibi obstrictū, in maximo periculo deserebāt. Idque adhuc iniquius existimari apud eos, qui Catholicos Reges huiusmodi calamitatis caussam fuisse, atque etiam quocunque duersa voluntatis indicio, Ioannis consilio*

filio obsistere posse nouerant. Palā enim Lusitanus ostenderat, legato, epistolis, officijsque cum Castellæ Regibus, eâ tempestate, mutuis, se maximè formidare Castellæ potentiam; etsi hanc solicitudinem non nisi mediocribus indicijs aperuerat; vt quod in animo versabat, callidè dissimularet. Alij contrà, à culpâ eos omninò absoluebant, hac vsi oratione: *Reges Castellæ, Gallico simul, & Granatensi bellis irretitos, nequaquam in nouas cū Lusitanis discordias posse immergi. Ioannis animum illis perlucidè notum, eiusque virtutem, necessitate etiam coactos vereri; vires partiri minimè eo tempore*

pore expedire. Hanc ciuilis doctrinæ normam, Ducis ruinæ præferendam; nam si in eam curam animum verterent, vt de Brigantini salute palam se solicitos faterentur, eodem indicio, hostes etiam se Ioanni prodere. Eos verò nequaquam pro præsenti rerum statu decêre, in alieno regno discordiæ auctores se præbêre, vnde maximum incommodū suæ ipsorū Reip. parari poterat. Principum interesse, totius regni commoda necessitudini anteferre; nā nec imperia aliâ ratione stare posse, nec aliâ niti propinquitate.

CA-

CAPVT XXXVI.

Noxa, quarum Fernandus Dux insimulatur; eiusdem ad obiecta responsiones elucidantur.

HÆC CE, & alia parũ dissimilia àb ijs, qui principũ actiones, auerso animo, trutinabant, in lucẽ fiebant, cũ Doctor Ioãnes Heluiensis fisci procurator, in Ducẽ, rege, vt sæuitiæ auditatẽ expleret, morã omninò vetãte, inuehitur, delato ad iudices, quibus crimina in Fernandũ continebantur, libello. In eo septem, non lethifera, etsi pro nece inferendâ, errata.

I. *Ducem sinistro Regem Ioannem sermone lacerare.* Eoque crimen atrocius, quo fœdiores illius mores, & publicâ inuidiâ dignos notarat.

II. *Animo regem molestiâ afficiendi, in Castellæ Regum obsequium, maximè propensum se exhibere, mu-*

mutuâ epistolarum vicissitudine; quibus Lusitaniæ arcana, & regis curas, industriâ, & calliditate inuestigatas reuelabat.

III. *Silentio præteriisse Marchionis, Comitis stabuli, fratris insanos tumores, & perfidiam notissimã, contra fidem regi præstandam, in ciue sanctiorem, sanguinis necessitudine.*

IV. *Maximo conatu Castellæ Regibus suasisse, ne obsidum restitutionem fieri paterentur, vt Regis Ioannis emolumento, & affectui obstaret. Necnon iisdem in memoriam reuocasse, vt à Lusitano postularent, fastum, & pompã Ioan-*

Ioanna Monialis, pro fœderis, in Morá oppido icti legibus coerceret.

V. *Antéactis comitijs, arcanas vrbium legatis directiones, & libellos dari curasse, vt regis decretis contradicerent.*

VI. *In vrbibus suæ ditionis, contra fas, & æquum, multa peragere, vinculis in miseros homunciones iniectis; vi & iniuriá in arces coactos, & custodiæ, quod Dynastis minime licebat, ijsdem in arcibus traditos.*

VII. *Duos annos elapsos, ex quo Brigantia accolam, nomine Rotericum Conçaluium Lanceam,*

carceri incluserat, eique ad regios magistratus prouocandi facultatem denegasse.

Iudicem, in hanc, ex legum doctrinâ, caussam decernendam, licenciatum Rotericum Granam, à criminibus, in regiâ vrbe, & familiâ prætorem rex delegit, in nullo enim Ducem à cæteris è turbâ reis differre voluit. Oratores in Brigantini patrociniū, Alfonsum Barros, & Iacobū Pinerium, posteà Funchalensem Antistitem, non mediocri vtriusq; iuris notitia claros dixit. Fernādus vtrisque silentium in obiecta crimina indixit; ex ipsâ enim regis cōmotione didicit, nullū innocentiæ locū reliquum, in eâ cōtrouersiâ, cui odiū & exordiū, & vires pararat. Preterea, in obiectorū, ex iuris argutijs, quæ facillima erat, excusatione, nec sine nouâ regis offensione posse quidquā proficere; nec noxâ additâ, de salute spē vllā deinceps fore. Itaq; lectis criminum capitibus, cum in eis nil immane, aut fœdū reperiret, nec eorū cuilibet contradixit, nec abnuit; versusq; ad Rotericum Pinā, qui proximus aderat, regē adiret iussit, atq; ei suo nomine, regij psaltis versiculum referret: *Ne intres in iudicium cum seruo*

tuo

tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Ad hoc obsequij opportunum sanè indicium, eâdem animi constantiâ, quâ semper viguerat, aliud mandatum addidit: *Regem precari, negotium illud principibus communicaret, atque ex eorum voto, & consilio, quid foret optimum, statueret. Nam existimandum esse illos, præ animi magnitudine, & rerum notitiâ, ab omni affectu (quo opus erat teneri iudices, regi suo, & ciuium nomine, & munerum caussâ obstrictos, qui pro eiusdem cupiditate leges interpretantur, & suffragia præbent) liberos, æquissimè de hac re sententiam laturos.*

CAPVT XXXVII.

Capite damnatur Dux Fernandus.

QVINQVE & viginti dierum ſpatio res tota eſt controuerſa, & ſententia lata. Ex hac in tanto negotio abſoluendo celeritate anſam arripuere plures, vt eam actionem culparent muſsitantes: *Spatiolum illud, non ad controuerſiam finiendam deſumptum, ſed ad ſupplicij, de quo iam decretum erat, genus, ſub illo iuris prætextu, eligẽdũ.* Per id tempus iudicum decuriæ, in oppido Turribus Veteribus morabantur. Ioannes eas ad ſe Eboram accerſijt, vt cauſſam huiuſmodi, omnibus Conſiliarijs ſuffragantibus ventilatam in vulgus faceret. Tandem, vt quid eo in negotio eſſet faciendum ſtatueretur, eos omnes, quos ex officio intereſſe oportebat, in palatij cubiculum, periſ-

peristromatis, rebus á Trajano gestis, intertextis ornatum, vt eiusdem integritatem æmulari videretur (quod à prudentioribus risu excipiebatur, pendentibus egregiū illū Trajani imitatorē, sui ipsius præsentiâ iudicum libertatem opprimere) coegit. Vbi primùm seuerè Consiliarij Ioannes orationē habuit meditato tēperamēto. *Dolore se affici maximo præfatus, cum negotium in eas angustias cerneret detrusum, vt in Ducis caussâ, clementiam rectitudini,* quam multis verbis commendauit, *cedere esset necessarium; verumtamen si quid ambiguitati, æquitati veniæ locum daret, eidem potius, vt ab ipso sæpius acceperant, propensiores redderentur.* Ex regis fronte, qui attentè illius orationem auscultabdat; verba animo contraria esse nouêre; sæuitiâ enim efferuescente, vix cruoris sitim celare poterat. Narrant Iacobum Pinerium, in Ducis caussâ oratorem designatum,

natû, regi tribunal ingredienti obstitisse; testatûque; *illi, ex legum formulis, minime licere, eo tempore, inter iudices sedere, qui in eâdem caussâ, de quâ agebatur, actorem se præstiterat.* Fateor huiusmodi libertatem in alios fines excogitatam pluribus visum. Nec defuere tamen, qui Pinerium summis encomijs sint prosecuti, ob virtutem, quâ se gessit in eo negotio, in quo cæteri metu pressi silebant.

Arrectâ omni ciuitate, satin cohiberet, ac premeret sensus suos Ioannes, an promeret; iis haud aliàs intentior populus plus sibi in principem, occultæ vocis, aut suspicacis silentij permisit. Duo integri dies, in dicendis sententijs sunt elapsi. Ex industriâ quidem, vt suaderetur homuncionibus, qui de hac re omninò ignari, in eo negotio, nil nisi pro vtrâque parte, argumentis rectè, & lentè expensis deliberari. Nec defuere e Consiliarijs virtute, sapientiâ, & ætate præstantioribus, qui in clementiam inclinare, sermone graui, & serenâ fronte visi sint; nullus enim est adeò tutus animus, & fortis, qui mediocri prudentiâ instructus, moram, & spatium in sententiâ

de

de libertate, & vitâ viri principis ferendam sibi non deposcat. Plures, quibus nulla in prudentiæ, atque integritatis specie, emolumenti spes, occasionem amplioris fortunæ, in publicis calamitati bus venabantur. Horũ omniũ vna sententia fuit. *Ducem Fernandum capite damnandum; illius facultates, & oppida regio fisco adscribenda*. Hoc consensu, non solùm regis sui famam, verumetiã studia honesta, quibus insudauerant, fœdè conspurcauêre; nullâ enim regni legum, quæ crimen, cui quælibet pœna decernitur, exprimi iubent, habitâ ratione, Ducem Briga ntinum, capite truncandum dixêre. Quo profectò manifestarunt, ad tribunal, nõ iustitiæ normis inseruiendi animo, sed vt ipsos omninò euerterent, accessisse. Tandẽ Ioanni conscribi, in Ducis caussâ, sententiam, hisce verbis placuit.

PATER NOSTER.

REX noster Ioannes decernit pro tribunali, Cõsiliarijs

 cunc-

cunctis, & magistratibus ascitis, & consentientibus, libello criminum Duci Brigantino, à fisci procuratore obiectorum perspecto, eorundemque criminum comprobatione, & testium, & syngrapharum indicijs factâ (quibus argumẽtis satis constat Ducem perfidia, aduersus eundem regem, in totius Lusitaniæ nocumentum, & dedecus, crimen patrasse) Fernandum Brigantiæ Ducem, in foro huius vrbis iugulari. Necnon Ducis facultates, tam supellectilia, quam villas, prædia, atque oppida, pari modo, & quæ à Lusitanorum regibus sunt concessa, & quæ à pa-

 ren-

rentibus Duci relicta, & Cæsareo iure, & legibus patrijs amissa, pro delicti fœditate, ex eorundem iudicum sententiâ, suo fisco regio præscribit. Datū Eboræ. Decimo Kalendas Iulias, anni 1483.

CAPVT XXXVIII.

Brigantino sententia lata perlegitur, ac paullòpost de eodem sumitur supplicium.

NOCTE insequenti, ab arce, in quâ Dux custodiebatur, armata manu septus educitur. Speciem in aliquem locum munitum, eundem ducendi, satellitum turba præferebat. Quâ industriâ, calamitatis indicium differri placuit, donec in domicilium viri privati, in foro, situm, cum intulêre; quo in loco ipsum vir seucrioris vitę assecla, sub tutelâ. D. Eligij, Paullus

cessariũ duxi, idẽ vltimo hanc fidei puritatẽ illibatã aſſerere, fateri, propalare. Æternum illud numen, & immortale, cui iudici paullopoſt rationẽ reddam, cui cuncta cordium arcana patent, obteſtor, nihil vnquã perfidiæ in te, mihi in mẽtẽ veniſſe. Fateor multis me criminibus cõſpurcatũ, à Dei Opt. Max. obſequio ſæpè declinaſſe, quarũ ſordes, in hãc ærumnã ſternere præcipitiũ, viã aperire, vrgere impetu potuêre. Verũ ab iis, quæ iniquè aduerſarii in me iactãt, omnino me alienũ noſco. Meruiſſe ſuppliciũ nõ inficiabor, imò grates habeo, qui deciueriſti; fateor enim dexteræ potentiam,

 à quâ

à quâ defluit, non parùm clementiæ, in morâ, detulisse. Æquum id hodiernâ die appello, quâ me morti, eâ, quæ vitæ & salutis humanæ assertorem rapuit, honestiori succumbere iubes. Felicitas nõ spernenda in extremâ quã dicunt, infelicitate mihi contingit, qui in ipsâ vitæ iacturâ, meritorũ nomine, quâ clarescere optas, iustitiæ opinionem augere possũ. Verùm etsi, pro meis inte officiis fructus omninò periit, vxoris meæ saltẽ, vxoris tuæ sororis vinculo, tibi nexa merita, à te extorquere valeant, solicitam pro tantâ necessitudine curam, in ipsius, & sobolis, quæ ætatis tenerrima

rimæ innocentiâ satis commendatur, & meæ fortunæ expers proditur, tutelam. Parce, precor, parce in prolem iræ stimulos acuere, ne tuæ famæ immortale dedecus iniungas, victâ ab odio clementiâ. Maiestatis regiæ claritati, maculam vna sæuitiæ opinio spargit; nec tueri quemquam timor inuidiâ comparatus potuit. Imperatoriæ fortunæ fulcimentum amor est. Si morigeri, & liuidi, obsequio à meis fratribus tibi exhibēdo notam etiã inurunt, eorum integritatem, rectâ trutinâ perpende; teque obstrictum ipsorum meritis experieris. Hisce humaniorem te, quã sumpti

de

de me supplicij exemplo, ostende; nam propinqui sanguine tibi sunt, & necessarium prudentioribus existimabitur, vt in gratiam cum illis redeas, atque ita immemores mei casus reddas; quo apud posteros tutius clarioris famæ decus consequaris. Ioannes ad hasce pro fratribus preces, trucem ad modum se præstitit, asseruitque: *Fore vt nullâ delinquentium ratione habitâ, de criminibus, pro eorum fœditate, pœna statueretur.* Nam iniquissimè tulit Ducem inficiari eas noxas, ob quas ipsum, capite damnabat; nominis enim claritatem plurimi semper habuerat, grauique molestiâ afficiebatur, quoties seriâ oratione sibi exprobabantur, quæ commiserat, errata.

Resendium homuncionem incurium latuit, vt multa alia, hoc Ducis ad regem, pro fidei integri-

tegritate supremum mandatum. Ego verò in id incidi, dum caussæ huiusmodi libellum à magistratibus, publicis notis consignatum perlegerem; vnde & cætera omnia quæ retuli, fidelissimè excerpsi. Quicquid in hoc negotio memoriæ reliquit candidus ille scriptor, suspicionis notis infici licet, nam & plura tacuit, & pleraque in regem, cuius beneficijs obstrictus tenebatur, propensissimi amoris affectu incitatus, ijs tinxit coloribus, vt atram faciem gypso, & purpurisso fucare videatur. Denique historiam (si hoc nomine digna illa narratiuncula, iudicij vigore, stilo, loquelæ, & rerum notitiâ, cæterisque ornamentis historiæ peculiaribus, quæ paucis auctoribus contingunt, expers) à se illustratam, inter sacramenta, nostri æui vitio, collocare audet. Itaque fidem commento illi exhibendam, ob auctoris dignitatem, dissertationum argutijs haud indigere existimat. Verùm quo eam contemptu, Lusitani viri prudentes habent, ineruditis, ac penè barbaris, qui eandem Annales, alij adulatione, typographorum errore alij ducti appellant, apta castigatio esse potest.

Ducis testamentum, paucis verbis constabat, ijsque ad coniugem præcipuè, liberos, propinquos,

quos, & clientes factis; quibus hosce omnes suæ calamitatis immemores, ne vnquam de vindicandâ cogitarent, reddere nixus. Quin potius, vt regem, quâ anteà fidei, & amoris præstantiâ, obsequium præstiterant, in posterum etiam, quâlibet acceptæ iniuriæ, aut durantis odij offensione depositâ colerent, hortabatur.

Post hæc, noctis peruigilio offensus, in sedili quieuit, sopore dulci perfusus. Maximum hic somnus constantiæ, & innocentiç argumentum. Consentit Plato, in dialogo Crito. Socratem enim morti non ita propinquum, dormitantem, Socrati per omnes vitæ gradus, cum laude vigili antefert. Sententiam in personâ Critonis, ad Socratem, quod se non excitasset, queritatem, ex versione Marsilij accipite. *Nunquam per Iouem, ô Socrates, excitassem. Neque enim ipse vellem, in tanto dolore euigilare. Sed iam dudum admiror, sentiens quam suauiter dormias. Et consultò non excitauisse, vt quam placidissimè degeres. Equidem & per omnem vitam, ob huiusmodi morem, beatum te iudicaui. Maximè verò in præsenti calamitate, quod eam iam facilè, ac placidè feras.* Deinde experrectus biscras nonnullas edit, & paullulum etiam vini potauit. Tanta animi erat tranquillitas, quæ hisce indicijs, ab industriâ alienis palàm

facta,

acta, in admirationem eos qui aderant rapuit; neque enim maius aliud innocētiæ testimonim, in liuidorum etiam stuporem excogitari potest constantiā, in maximis periculis; nam animum spondendi caussas ipsamet noxæ mens conscia sceleratis ministrat. In theatrum eductus, serena fronte, circa forum, atraque pegmatis ornamenta oculos deflexit, mox ad regios satellites.
En en ad morem Galliæ. Ioānes enim non multos antè menses, ascito ad se Duci, supplicij, quod & eodem sumere moliebatur, formā graphicè, sub historiā cuiusdam proceris, à Rege Galliæ Ludouico dāmnati descripserat. In editiorem locum, nunquam labente pede ascendit, parique virtute intrepidus, carnifici sui potestatem fecit, atque ita iugulatur. Videre erat Ducis, morte propositā, impauidi regiam constantiam, regis de viro optimo, supplicium sumentis seruilem formidinem. Ex illius enim imperio Eburensis ciuitas, tot copijs militaribus aegrè batur obsessa, vt periculosissimi belli timore pressa videretur; eâque celeritate, tantum negotium absolutum, vt vix decem horarum spatium, inter lethalis decreti factam Duci promulgationem, & eiusdem necem elaberetur. Dux Fernandus, & fidei splendore, & totius fermè

Hispaniæ procerum sibi, aut necessitudinis, aut familiarissimæ amicitiæ vinculis obstrictorum amore nixus, de famæ immortalitate securus, nil horridi, aut fœdi in morte reperiebat. Ioannes Rex Latentis animo odij stimulis exulceratus, eorumque qui Duci officium præstiterant, potentiam reformidans, nihil tranquillitatis, in ipsâ vitæ dulcedine, quâ fruebatur, additâ etiam voluptate, ex homine parum sibi grato, in eas angustias redacto, inuenire poterat. Licet ob hos animi motus adeò inæquales, ex Stoicâ disciplinâ, cum Senec. Epistol. 98. Ioannem poscindere, Fernandum extollere. *Valentior enim*, inquit, *omni fortunâ animus est; in vtramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi caussa est. Malus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optima venerant. Rectus, atque integer corrigit praua fortunæ, & dura, atque aspera, ferendi scientiâ emollit; idemque & secunda gratè excipit, modesteque; & aduersa constanter, atque fortiter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires suas tentet, non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ positum: nisi fuerint aduersus in[illegible] certa est.*

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Diuersæ hominum de hac Regis Ioannis actione, sententiæ recensentur.

HISTORIAM absolui. Superest quid de Rege Ioanne, atque etiam Fernando Duce, eâdem tempestate Lusitani ipsi disseruerint, in lucē proferam. Variæ sanè fuêre sententiæ. Caussa discordiæ, ipsa forsitan in hanc, vel illā partem, aut natiua propensio, aut nixus officijs affectus. Mussitabant plerique cum plebeculā: *Perfidiæ, inter cætera, hoc mitissimum adhærere, quòd corrigi suauioribus instrumentis nequiret. Regem coactum hisce angustijs, ad cruorem effundendum, vt Reip. corpus, è lāgore tandē, in pristinam venustatē redderetur, pru-*

 dentiā

dentiâ maximâ vsum, deueniſſe. Negotium peragi eâ celeritate decuiſſe, ne ſerpente morbo, vulnus omninò medicaminis virtutem excederet. Id accidere potuiſſe, diſsimulationis ſimul, & vigilantiæ induſtriâ, dum ambigeretur de crimine. Eo indicijs ſatis noto, non aliter quàm vindictâ ſumptâ, periculum propulſare opus fuiſſe. Clementiam quidem, & humanitatem, inter regias virtutes locum habere; verùm in periculis huiuſcemodi, ignauiæ potius, & ſtoliditatis nomine afficiendas. Referebant ſæpiſsimè à rege Fernandum præmonitum, ac tandem

 Ioan-

Ioannē perfidiæ toties repetitæ fœditate commotum, supplicium sceleratis, probis tutelam, exemplum omnibus parasse. Contra alij differebant palàm: *Ducem interimi insontem; illius necē, ex inueterati odij caussis, nullis ex criminibus dimanasse. Nam quæ à rege Brigantino obiecta fuerant, & pro tribunali à magistratribus discussa, non paucis nominibus vana omninò esse, nullius ponderis, & pro tanto supplicio sumenda inepta. Neq. enim seruatis iuris normis, causam fuisse trutinatam, testibus nonnullis, vi, aut pollicitationibus, coactis, alijs post delationem præmijs affec-*
 tis;

tis, vtriusque in suæ ipsorum perfidiæ indicium, semel atq; iterũ, & tertiò etiam, ad testimonium dicendum citatis. Eosq; absque iureiurando, cum primùm res est delata sententias dixisse; plerosq; vel qui nil omninò, in eâ causâ, vel qui in Duce nullum crimen esse testati, in exilium amandatos. Plures eorum, qui Ducem perfidiæ notarunt, & genere, & moribus vilissimos; quâ notâ parum fidei ijsdem adhiberi oporteret. Epistolarum, aliorumque ad iudices perlatorum codicum nullum autographum; omnes excerptos esse; nec publici alicuius ministri nomine, nec signo

ſigno munitos. In iiſdem, etſi autographi in lucem fierent, nullius criminis maculam repertam. Continere inter Reges Caſtellæ, & Ducem, officiorum viciſsitudinem, & propinquitatis, & veteris amicitiæ iure mutuam. Sententiæ formulam legibus patriis repugnare, nullâ in eâ ſupplicii cauſſâ expreſſâ. Tandem viginti quinque dierum ſpatio, quo controuerſia tota eſt abſoluta, minimè potuiſſe tantum negotium, in quod ventilandum, vnius, & alterius anni ſpatiũ. paruum adhuc interuallũ videretur, diſcuti, niſi pœna in Ducem ſtatuenda, multò ante eſſet decreta.

cunctis, & magistratibus ascitis, & consentientibus, libello criminum Duci Brigantino, à fisci procuratore obiectorum perspecto, eorundemque criminum comprobatione, & testium, & syngrapharum indicijs factâ (quibus argumentis satis constat Ducem perfidiæ, aduersus eundem regem, in totius Lusitaniæ nocumentum, & dedecus, crimen patrasse) Fernandum Brigantiæ Ducem, in foro huius vrbis iugulari. Necnon Ducis facultates, tam supellectilia, quam villas, prædia, atque oppida, pari modo, & quæ à Lusitanorum regibus sunt concessa, & quæ à pa-

ren-

rentibus Duci relicta, & Cæsareo iure, & legibus patrijs amissa, pro delicti fœditate, ex eorundem iudicum sententiá, suo fisco regio præscribit. Datũ Eboræ. Decimo Kalendas Iulias, anni 1483.

CAPVT XXXVIII.

Brigantino sententia lata perlegitur, ac paullòpost de eodem sumitur supplicium.

NOCTE insequenti, ab arce, in quã Dux custodiebatur, armata manu sepius educitur. Speciem in aliquem locum muniñtum, eundem ducendi, satellitum turba præferebat. Quá industriá, calamitatis indicium differri placuit, donec in domicilium viri privati, in foro, si tum, cum intulêre, quo in loco ipsum vir seueriotis vitę assecla, sub tutelã. D. Eligij, Paul-

cessariũ duxi, itẽ vltimo hanc fidei puritatẽ illibatã aßerere, fateri, propalare. Æternum illud numen, & immortale, cui iudici paullopost rationẽ reddam, cui cuncta cordium arcana patent, obtestor, nihil vnquã perfidiæ in te, mihi in mẽtẽ venisse. Fateor multis me criminibus cõspurcatũ, à Dei Opt. Max. obsequio sæpè declinasse, quarũ sordes, in hãc ærumnã sternere præcipitiũ, viã aperire, vrgere impetu potuêre. Verũ ab ijs, quæ iniquè aduersarÿ in me iactãt, omnino me alienũ nosco. Meruisse suppliciũ nõ inficiabor, imò grates habeo, qui decreuisti; fateor enim dexteræ potentiam,

 à quâ

à quâ defluit, non parùm clementiæ, in morâ, detulisse. Æquum id hodiernâ die appello, quâ me morti, eâ, quæ vitæ & salutis humanæ assertorem rapuit, honestiori succumbere iubes. Felicitas nõ spernenda in extremâ quã dicunt, infelicitate mihi contingit, qui in ipsâ vitæ iacturâ, meritorũ nomine, quâ clarescere optas, iustitiæ opinionem augere possũ. Verùm etsi, pro meis inte officijs fructus omninò perijt, vxoris meæ saltẽ, vxoris tuæ sororis vinculo, tibi nexa merita, à te extorquere valeant, solicitam pro tantâ necessitudine curam, in ipsius, & sobolis, quæ ætatis tener-

rimæ innocentiâ ſatis commendatur, & meæ fortunæ expers proditur, tutelam. Parce, precor, parce in prolem iræ ſtimulos acuere, ne tuæ famæ immortale dedecus iniungas, victâ ab odio clementiâ. Maieſtatis regiæ claritati, maculam vna ſæuitiæ opinio ſpargit; nec tueri quemquam timor inuidiâ comparatus potuit. Imperatoriæ fortunæ fulcimentum amor eſt. Si morigeri, & liuidi, obſequia à meis fratribus tibi exhibēdo notam etiã inurunt, eorum integritatem, rectâ trutinâ perpende; teque obſtrictum ipſorum meritis experieris. Hiſce humaniorem te, quã ſumpti

de

de me supplicij exemplo, ostende; nam propinqui sanguine tibi sunt, & necessarium prudentioribus existimabitur, vt in gratiam cum illis redeas, atque ita immemores mei casus reddas; quo apud posteros tutius clarioris famæ decus cõsequaris. Ioannes ad hasce pro fratribus preces, trucem ad modum se præstitit, asseruitque: *Fore vt nullâ delinquentium ratione habitâ, de criminibus, pro eorum fœditate, pœna statueretur.* Nam iniquissimè tulit Ducem inficiari eas noxas, ob quas ipsum, capite damnabat; nominis enim claritatem plurimi semper habuerat, grauique molestiâ afficiebatur, quoties seriâ oratione sibi exprobabantur, quæ commiserat, errata.

Refendium homuncionem incuriium latuit, vt multa alia, hoc Ducis ad regem, pro fidei integri-

tegritate supremum mandatum. Ego verò in id incidi, dum caussæ huiusmodi libellum à magistratibus, publicis notis consignatum perlegerem; vnde & cætera omnia quæ retuli, fidissimè excerpsi. Quicquid in hoc negotio memoriæ reliquit candidus ille scriptor, suspicionis notis infici licet, nam & plura tacuit, & pleraque in regem, cuius beneficijs obstrictus tenebatur, propensissimi amoris affectu incitatus, ijs tinxit coloribus, vt atram faciem gypso, & purpurisso fucare videatur. Denique historiam (si hoc nomine digna illa narratiuncula, iudicij virtute, stilo, loquelæ, & rerum notitiâ, cæterisque ornamentis historiæ peculiaribus, quæ paucis auctoribus contingunt, expers) à se illustratam, inter sacramenta, nostri æui vitio, collocare audet. Itaque fidem commento illi exhibendam, ob auctoris dignitatem, dissertationum argutijs haud indigere existimat. Verùm quo eam contemptu, Lusitani viri prudentes habent, ineruditis, ac penè barbaris, qui eandem Annales, alij adulatione, typographorum errore alij ducti appellant, apta castigatio esse potest.

Ducis testamentum, paucis verbis constabat; ijsque ad coniugem præcipuè, liberos, propinquos,

quos, & clientes factis; quibus hosce omnes suæ calamitatis immemores, ne vnquam de vindicandà cogitarent, reddere nixus. Quin potius, vt regem, quâ anteà fidei, & amoris præstantiâ, obsequium præstiterant, in posterum etiam, quâlibet acceptæ iniuriæ, aut durantis odij offensione depositâ colerent, hortabatur.

Post hæc, noctis peruigilio offensus, in sedili quieuit, sopore dulci perfusus. Maximum hic somnus constantiæ, & innocentiç argumentum. Consentit Plato, in dialogo Crito. Socratem enim morti non ita propinquum, dormitantem, Socrati per omnes vitæ gradus, cum laude vigili antefert. Sententiam in personâ Critonis, ad Socratem, quod se non excitasset, queritatem, ex versione Marsilij accipite. *Nunquam per Iouem, ô Socrates, excitassem. Neque enim ipse vellem, in tanto dolore euigilare. Sed iam dudum admiror, sentiens quam suauiter dormias. Et consultò non excitaui te, vt quam placidissimè degeres. Equidem & per omnem vitam, ob huiusmodi morem, beatum te iudicaui. Maximè verò in præsenti calamitate, quod eam iam facilè, ac placidè feras.* Deinde experrectus biferas nonnullas edit, & paullulum etiam vini potauit. Tanta animi erat tranquillitas, quæ hisce indicijs, ab industriâ alienis palàm facta,

acta, in admirationem eos qui aderant rapuit; neque enim maius aliud innocentiæ testimonium, in liuidorum etiam stuporem excogitari potest constantiâ, in maximis periculis; nam animum spondendi caussas ipsamet noxæ mens conscia sceleratis ministrat. In theatrum eductus, serena fronte, circa forum, atraque pegmatis ornamenta oculos deflexit, mox ad regios satellites. *En en ad morem Galliæ*. Ioânes enim non multos antè menses, asscito ad se Duci, supplicij, quod de eodem sumere moliebatur, formã graphicè, sub historiã cuiusdam proceris, à Rege Galliæ Ludouico damnati descripserat. In editiorem locum, nunquam labente pede ascendit, parique virtute intrepidus, carnifici sui potestatem fecit, atque ita iugulatur. Videre erat Ducis, morte proposità, impauidi regiam constantiam, regis de viro optimo, supplicium sumentis seruilem formidinem. Ex illius enim imperio Eburensis ciuitas, tot copijs militaribus eò urgebatur obsessa, ut periculosissimi belli timore pressa videretur; eàque celeritate, tantum negotium absolutum, ut vix decem horarum spatium, inter lethalis decreti factam Duci promulgationem, & eiusdem necem elaberetur. Dux Fernandus, & fidei splendore, & totius fermè

Hispaniæ procerum sibi, aut necessitudinis, aut familiarissimæ amicitiæ vinculis obstrictorum amore nixus, de famæ immortalitate securus, nil horridi, aut fœdi in morte reperiebat. Ioannes Rex Latentis animo odij stimulis exulceratus, eorumque qui Duci officium præstiterant, potentiam reformidans, nihil tranquillitatis, in ipsâ vitæ dulcedine, quâ fruebatur, additâ etiam voluptate, ex homine parùm sibi grato, in eas angustias redacto, inuenire poterat. Licet ob hos animi motus adeò inæquales, ex Stoicâ disciplinâ, cum Senec. Epistol. 98. Ioannem posc[i]ndere; Fernandum extollere. *Valentior enim*, inquit, *omni fortunâ animus est; in vtramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi caussa est. Malus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optima venerant. Rectus atque integer corrigit praua fortunæ, & dura, atque aspera, ferendi scientiâ emollit; idemque & secunda gratè excipit, modesteque; & aduersa constanter, atque fortiter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires suas tentet, non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ positum, nisi certus aduersus in[illegible] certa est.*

CAPVT

CAPVT XXXIX.

Diuersæ hominum de hac Regis Ioannis actione, sententiæ recensentur.

HISTORIAM absolui. Superest quid de Rege Ioanne, atque etiam Fernando Duce, eâdem tempestate Lusitani ipsi differuerint, in lucē proferam. Variæ sanè fuêre sententiæ. Caussa discordiæ, ipsa forsitan in hanc, vel illā partem, aut natiua propensio, aut nixus officijs affectus. Mussitabant plerique cum plebeculā: *Perfidiæ, inter cætera, hoc mi serrimum adhærere, quòd corrigi suauioribus instrumentis nequiret. Regem coactum hisce angustijs, ad cruorem effundendum, vt Reip. corpus, è tāgore tandē, in pristinam venustatē redderetur, pru-*

deniiâ maximâ vsum, deueniße. Negotium peragi eâ celeritate decuisse, ne serpente morbo, vulnus omninò medicaminis virtutem excederet. Id accidere potuiße, dissimulationis simul, & vigilantiæ industriâ, dum ambigeretur de crimine. Eo indicijs satis noto, non aliter quàm vindictâ sumptâ, periculum propulsare opus fuisse. Clementiam quidem, & humanitatem, inter regias virtutes locum habere; verùm in periculis huiuscemodi, ignauiæ potius, & stoliditatis nomine afficiendas. Referebant sæpißimè à rege Fernandum præmonitum, ac tandem

 Ioan-

Ioannē perfidiæ toties repetitæ fœditate commotum, supplicium sceleratis, probis tutelam, exemplum omnibus parasse. Contra alij differebant palàm: *Ducem interimi insontem; illius necē, ex inueterati odij caussis, nullis ex criminibus dimanasse. Nam quæ à rege Brigantino obiecta fuerant, & pro tribunali à magistratibus discussa, non paucis nominibus vana omninò esse, nullius ponderis, & pro tanto supplicio sumenda inepta. Neq; enim seruatis iuris normis, caussam fuisse trutinatam, testibus nonnullis, vi, aut pollicitationibus, coactis, alijs post delationem præmijs affectis;*

ſigno munitos. In ijſdem, etſi autographi in lucem fierent, nullius criminis maculam repertam. Continere inter Reges Caſtellæ, & Ducem, officiorum viciſsitudinem; & propinquitatis, & veteris amicitiæ iure mutuam. Sententiæ formulam legibus patrijs repugnare, nullâ in eâ ſupplicij cauſſâ expreſſâ. Tandem viginti quinque dierum ſpatio, quo controuerſia tota eſt abſoluta, minimè potuiſſe tantum negotium, in quod ventilandum, vnius, & alterius anni ſpatiũ parum adhuc interuallũ videretur, diſcuti, niſi pœna in Ducem ſtatuenda, multò ante eſſet decreta.

Hisce omnibus perspicuè regis in Brigantinam familiam, cui semper se infensum ostenderat, odium, à maioribus quodammodo hæreditarium patêre. Pro hac parte argumenta satis firma, recensebant auorum simultates, Petri Infantis cædem, Duci Alfonso imputatam; ac veluti quid prodigij mirabantur, fatalem hanc inter nepotes, animorum auersionem; cuius vi occasio illa persitata, atque ex industriâ ad vindictam quæsita videbatur, in obsequium Philippæ regis materteræ, quæ in hanc partem illius animum, mirâ querelarum, & precum arte, contorquere fuerat

rat visa. Nec obliuiscebantur Ducis Fernandi Primi, pro bello, cum Castellæ Regibus dissuadendo, cõsilium libertate plenum. Referebant eiusdem Fernandi Secundi, ad Ioannem Principem olim, apud Taurum, orationem; nec non ea verba, quibus eius animum sauciarat, cùm primùm ex parẽtis, apud Gallos versantis decreto, velle regium diadema sumere, in Consiliariorum cœtu proposuit. Denique in eam sententiam inclinabant, vt existimarent Duci Fernando, ipsius virtutem, & libertatem, atque constantiam maximam, excidium parasse; regemque hisce colo-

 ribus,

ribus, in eum euertendum, vsum, vt eâ formidine, quâ miserrimè cruciabatur, ob Ducis magnitudinē, nataliū claritate, opibus, auctoritate, fratrū subsidio, & propinquorū, per totā fermè Hispaniā dignitate, ac diuitijs pollentiū, splendore fultā, exsolueretur. Ioāni Ducis potentiā regiæ æmulā cēseri; in eāque suspicionē, ex repugnantiâ, quā in comitijs Brigantinus, pro tuendâ dignitate ostēderat, magis inclinasse. Eandē tamen regis opinionem omninò inanem esse perspicuè liquêre, ex Ducis, pro periculo propulsando, incuriâ, quâ se regi maximè obsequentem, & àb elatione

ne alienum manifestarat.

Non defuêre, qui in Castellæ Reges huius necis culpam retorquerent; ijs enim arctissimæ cum Duce, familiaritatis commercium, pro regni sui tranquillitate, instituerant. Nam cum Ioãnis Regis potentiam iniquè ferrent, sibíque perniciosam aliquando fore suspicarentur, tutissimum sunt arbitrati, in ipso Lusitaniæ regno, odij caussas, hac ex consuetudine disseminare; vt Ioãnes discordijs intestinis illaqueatus, à generosi, quem in illo suspiciebant, spiritus, in externa bella stimulis, eâ præcipuè tempestate, quâ Ioannam Monialem, animo Regibus Catholicis solicitudinem, & angorem ingerendi, regali pompâ, & splendore vti permiserat, excitatus, nil posset moliri, aut elusus quiesceret. Rumore dissipatũ, hisce curis Reges Castellæ excruciatos, ad Ducẽ crebris litteris datis, ipsum solicitasse, vt sese tumidissimè gereret, publicè, & priuatim querelas in regem funderet; eam enim viam esse tutissimam, vt à Ioanne, quicquid optasset, facilè consequeretur. Inter cætera ferebatur Ducem, in Regũ Castellæ gratiam, affectasse Heroinæ Ioãnæ curam sibi, & libertatem vendicatam, ad arbitrium moderari, nullâ tamen in hanc rem conspiratione, quod Lusitanus Rex suspicabatur, factâ.

Hiero-

Hieronymus Zurità passim, in suis Annalibus, Ducis ruinam, ex familiaritate, cum Castellæ Regibus instituta defluxisse asserit; Regemque Ioannem sinistrè de eâ, sine vllâ caussa suspicatum; in Ducis, àb allijs, quibus deliquisse simulabatur, omnino alieni iniuriam, atque etiam necem inclinasse. Nam suâpte natura Ioannem inhumanum, & sæuum semper habitum addit (verba Zuritæ sunt, non semel, aut iterum, sed sæpissime repetita) atque ad cruorem effundendum natum. Libertate adhuc procaciori, in Ioannem inuehitur Argentonis Dynasta Philippus Comines, qui per id tēpus viguit, in opusculo, quod de actionibus Caroli 8. edidit. Nam Regem Lusitanum taxat petulanter, qui in eam sæuitiam, atque etiam dementem immanitatem labi potuerit, vt astu natiuo, ferinoque ingenio sub actus Ducem Brigantinum insontem, propinquum, virum fortem, & prudentissimum morte affecerit. Nec ambigendi locum tanti auctoris fides relinquit; manibus enim, vt aiunt, legatus à Ludouico, eiusdemque filio Carolo Galliæ Regibus, ad plures reges alios, & proceres missus, tetigit principum arcana, rerumque euentus; & maximâ peritiâ ciuilis moderaminis instructus, & veri tenacissimus, eadem retulit. Nec è

Lusi-

Lusitanis scriptoribus est, qui pro contrariâ sententiâ asserendâ quid afferat. Rotericus Pina, præterquam lib. 2. de virulento illo, inveterati inter Regem Ioannem, & Brigantinos Dynastas, odij impetu pleraque refert, multis alijs suæ historiæ locis, Ducis fidem, verborũ, & sententiarũ pondere, maximè commendat; nusquam verò, pro supplicio de eodem sumpto, caussas adductas probat, necdum elucidare ausus est. Damianus Goensis, mirâ analogiâ, stilo, in mysterij speciem, prudentissimè composito, Ducis ruinam, calamitates, & ærumnas publicas appellat. Nuperi scriptores in eandem partem inclinant. Mariana, lib. 24. de rebus Hispan. cap. 23. à Ioannis Regis, in quem pro noxâ, amarulentiam vertit, & stili mucronem, truculentiâ; & dicacitate hanc tragœdiam fluxisse testatur. Bernardus Brutius, D. Bernardi instituti assecla, Lusitaniæ Regũ Historiographus Maximus, in Elogijs de Regibus Lusitanis, Ducis crimen, leuiori supplicio, potuisse coerceri affirmat. Acerbum, in Brigantinum, Ioannis decretum Hieronymus Romanus, è D. Augustini contubernio, in opusculo de Præsulibus Braccarensibus incusat. Huius vestigijs inhæret Iacobus Mellius Pereyra, D. Mariæ Tentugalensis Prior, vir optimus, & erudi-

tus,

tus, in compendio, de Lusitaniæ familijs. Deniq; nullus est ex scriptoribus, qui Regis Ioãnis calliditatẽ, vnà & sæuitiam non culpet, eiusdemque, in Brigantinos proceres, odium plurimis argumentis inculcatum haud recenseat.

CAPUT XXXX.

Vt Fernando Duci obiecta crimina, ex iuris arcanis diluantur, via sternitur.

LIBET percurrere labeculas Duci impositas, & tenebras hasce, si valeam, discutere. Prouincia nõ ardua. Difficilior, quæ buccones garriunt, refellere. Instant rite, & iure, Ducem cæsum in quem tot homines testes citati, noxam illã læsæ maiestatis retorsere. Imò eundem Fernandum, rerum suarum apprimè cõscium, ideo, ad præposita criminum capita, siluisse, quod nullam vitandi supplicium rationem posse inueniri, perspicuè sentiret. De testium præstantiâ aliqua prælibata, proximo cap. Plurima ad fastidium etiam, si opus, in præsenti recensere

tenſerent. Satis ſuperque eorum nullum ad rem firmandam idoneum. Nam ſi vt placet liuidis, crimen læſæ maieſtatis exiſtimatur, nec ad hoc ſuadendum ſingulares teſtes quid faciunt, cum crimen ex vno, & ſpecifico actu, vt cum Farinacio loquar, de oppoſ. contra dicta teſtium, quæſt.64.num.222.probatur. Quia tunc ſingularitas proculdubio in teſtibus illis fidem eleuat. Accedit ex cohorte legumperitorum. Follé in practicâ crimin. verb. *Item quod commiſit crimen læſæ maieſt.* num. 3. Oſaſc. Deciſ. Pedem. 79. num. 39. Petram. in tractat. de fideicomiſſ. quæſt. 12. numer. 722. Hi verò qui in Ducem hanc labem teſtantur, vt ex actis ipſis conſtat, ſingillatim de vnâquâque noxâ verba faciunt, ſed diuerſo adhuc ſtilo; alius ſe audijſſe, quidam epiſtolas inueniſſe, hic ſuſpicatum eſſe, nullus proditionem factam aſſerit. Sed quæ ineptiæ crimen læſ. maieſt. appellare ciuile, & honeſtum (hoc enim in capite, tota quodammodo res vertitur) cum Caſtellę Regibus, ſanguine propinquis, & veterrimæ amicitiæ iure copulatis cõmerciũ; & tumorem aliquem, atque elationẽ viri in Rep. potiſsimi, verbis modo, modo ipſâ formâ regiâ manantem? Dicito proteruiam, aut, ſi acrius, pertinaciam. Quæ ſi crimina, leuia ſane;

& ſi

Hispaniæ procerum sibi, aut necessitudinis, aut familiarissimæ amicitiæ vinculis obstrictorum amore nixus, de famæ immortalitate securus, nil horridi, aut fœdi in morte reperiebat. Ioannes Rex Latentis animo odij stimulis exulceratus, eorumque qui Duci officium præstiterant, potentiam reformidans, nihil tranquillitatis, in ipsâ vitæ dulcedine, quâ fruebatur, additâ etiam voluptate, ex homine parum sibi grato, in eas angustias redacto, inuenire poterat. Licet ob hos animi motus adeò inæquales, ex Stoicâ disciplinâ, cum Senec. Epistol. 98. Ioannem posscindere; Fernandum extollere. *Valentior enim*, inquit, *omni fortunâ animus est; in vtramque partem ipse res suas ducit, beatæque ac miseræ vitæ sibi caussa est. Malus omnia in malum vertit, etiam quæ specie optima venerant. Rectus, atque integer corrigit praua fortunæ, & dura, atque aspera, ferendi scientiâ emollit; idemque & secunda gratè excipit, modestèque; & aduersa constanter, atque fortiter. Qui licet prudens sit, licet exacto faciat cuncta iudicio, licet nihil supra vires suas tentet, non contingit illi bonum integrum illud, & extra minas fortunæ positum, nisi certus aduersus incerta est.*

CAPVT XXXIX.

Diuersæ hominum de hac Regis Ioannis actione, sententiæ recensentur.

HISTORIAM absolui. Superest quid de Rege Ioanne, atque etiam Fernando Duce, eàdem tempestate Lusitani ipsi disseruerint, in lucē proferam. Variæ sanè fuêre sententiæ. Caussa discordiæ, ipsa forsitan in hanc, vel illā partem, aut natiua propensio, aut nixus officijs affectus. Mussitabant plerique cum plebeculâ: *Perfidiæ, inter cætera, hoc miserrimum adhærere, quòd corrigi suauioribus instrumentis nequiret. Regem coactum hisce angustijs, ad cruorem effundendum, vt Reip. corpus, è languore tandē, in pristinam venustatē redderetur, pru-*

dentiâ maximâ vſum, deueniſſe. Negotium peragi eâ celeritate decuiſſe, ne ſerpente morbo, vulnus omnino medicaminis virtutem excederet. Id accidere potuiſſe, diſſimulationis ſimul, & vigilanti induſtriâ, dum ambigeretur de crimine. Eo indicijs ſatis noto, non aliter quàm vindictâ ſumptâ, periculum propulſare opus fuiſſe. Clementiam quidem, & humanitatem, inter regias virtutes locum habere; verùm in periculis huiuſcemodi, ignauiæ potius, & ſtoliditatis nomine afficiendas. Referebant ſæpiſsimè à rege Fernandum præmonitum, ac tandem

 Ioan-

Ioannē perfidiæ toties repetitâ fœditate commotum, supplicium sceleratis, probis tutelam, exemplum omnibus parasse. Contra alij differebant palam: *Ducem interimi insontem; illius necē, ex inueterati odij caussis, nullis ex criminibus dimanasse. Nam quæ à rege Brigantino obiecta fuerant, & pro tribunali à magistratribus discussa, non paucis nominibus vana omninò esse, nullius ponderis, & pro tanto supplicio sumenda inepta. Neq; enim seruatis iuris normis, caussam fuisse trutinatam, testibus nonnullis, vi, aut pollicitationibus, coactis, alijs post delationem præmijs affec-*
 tis;

signo munitos. In ijsdem, et si autographi in lucem fierent, nullius criminis maculam repertam. Continere inter Reges Castellæ, & Ducem, officiorum vicissitudinem, & propinquitatis, & veteris amicitiæ iure mutuam. Sententiæ formulam legibus patrijs repugnare, nullâ in eâ supplicij caussâ expressâ. Tandem viginti quinque dierum spatio, quo controuersia tota est absoluta, minimè potuisse tantum negotium, in quod ventilandum, vnius, & alterius anni spatiū. parum adhuc interuallū videretur, discuti, nisi pœna in Ducem statuenda, multò ante esset decreta.

Hiſce omnibus perſpicuè regis in Brigantinam familiam, cui ſemper ſe infenſum oſtenderat, odium, à maioribus quodammodo hæreditarium patêre. Pro hac parte argumenta ſatis firma, recenſebant auorum ſimultates, Petri Infantis cædem, Duci Alfonſo imputatam; ac veluti quid prodigij mirabantur, fatalem hanc inter nepotes, animorum auerſionem; cuius vi occaſio illa perſitata, atque ex induſtriâ ad vindictam quæſita videbatur, in obſequium Philippæ regis materteræ, quæ in hanc partem illius animum, mirâ querelarum, & precum arte, contorquere fuerat

rat

rat visa. Nec obliuiscebantur Ducis Fernandi Primi, pro bello, cum Castellæ Regibus dissuadendo, cōsilium libertate plenum. Referebant eiusdem Fernandi Secundi, ad Ioannem Principem olim, apud Taurum, orationem; nec non ea verba, quibus eius animum sauciarat, cùm primùm ex parētis, apud Gallos versantis decreto, velle regium diadema sumere, in Consiliariorum cœtu proposuit. Denique in eam sententiam inclinabant, vt existimarent Duci Fernando, ipsius virtutem, & libertatem, atque constantiam maximam, excidium parasse; regemque hisce colo-
 ribus,

ribus, in eum euertendum, vsum, vt eâ formidine, quâ miserrimè cruciabatur, ob Ducis magnitudinẽ, nataliũ claritate, opibus, auctoritate, fratrũ subsidio, & propinquorũ, per totã fermè Hispaniã dignitate, ac diuitijs pollentiũ, splendore fultã, exsolueretur. Ioãnis Ducis potentiã regiæ emulã cẽseri; in eãque suspicionẽ, ex repugnantiâ, quã in comitijs Brigantinus, pro tuendâ dignitate ostẽderat, magis inclinasse. Eandẽ tamen regis opinionem omninò inanem esse perspicuè liquere, ex Ducis, pro periculo propulsando, incuriâ, quâ se regi maximè obsequentem, & àb elatio-

ne

ne alienum manifestarat.

Non defuêre, qui in Castellæ Reges huius necis culpam retorquerent; ijs enim arctissimæ cum Duce, familiaritatis commercium, pro regni sui tranquillitate, instituerant. Nam cum Ioãnis Regis potentiam iniquè ferrent, sibique perniciosam aliquando fore suspicarentur, tutissimum sunt arbitrati, in ipso Lusitaniæ regno, odij caussas, hac ex consuetudine disseminare; vt Ioãnes discordijs intestinis illaqueatus, à generosi, quem in illo suspiciebant, spiritus, in externa bella stimulis, eâ præcipuè tempestate, quâ Ioannam Monialem, animo Regibus Catholicis, solicitudinem, & angorem ingerendi, regali pompâ, & splendore vti permiserat, excitatus, nil posset moliri, aut elusus quiesceret. Rumore dissipatũ, hisce curis Reges Castellæ excruciatos, ad Ducẽ crebris litteris datis, ipsum solicitasse, vt sese tumidissimè gereret, publicè, & priuatim querelas in regem funderet; eam enim viam esse tutissimam, vt à Ioanne, quicquid optasset facilè consequeretur. Inter cætera ferebatur Ducem, in Regũ Castellæ gratiam, affectasse Heroinæ Ioãnæ curam sibi, & libertatem vendicatam, ad arbitrium moderari, nullâ tamen in hanc rem conspiratione, quod Lusitanus Rex suspicabatur, factâ.

Hiero-

Hieronymus Zurita passim, in suis Annalibus, Ducis ruinam, ex familiaritate, cum Castellæ Regibus institutâ defluxisse asserit; Regemque Ioannem sinistrè de eâ, sine vllâ caussâ suspicatum, in Ducis, ab alijs, quibus deliquisse simulabatur, omnino alieni iniuriam, atque etiam necem inclinasse. Nam suâpte natura Ioannem inhumanum, & sæuum semper habitum addit (verba Zuritæ sunt, non semel, aut iterum, sed sæpissimè repetita) atque ad cruorem effundendum natum. Libertate adhuc procaciori, in Ioannem inuehitur Argentonis Dynasta Philippus Comines, qui per id tēpus viguit, in opusculo, quod de actionibus Caroli 8. edidit. Nam Regem Lusitanum taxat petulanter, qui in eam sæuitiam, atque etiam dementem immanitatem labi potuerit, vt astu natiuo, ferinoque ingenio sub actus Ducem Brigantinum insontem, propinquum, virum fortem, & prudentissimum morte affecerit. Nec ambigendi locum tanti auctoris fides relinquit; manibus enim, vt aiunt, legatus à Ludouico, eiusdemque filio Carolo Galliæ Regibus, ad plures reges alios, & proceres missus, tetigit principum arcana, rerumque euentus; & maximâ peritiâ ciuilis moderaminis instructus, & veri tenacissimus, eadem retulit. Nec è

Lusi-

Lusitanis scriptoribus est, qui pro contrariâ sententiâ asserendâ quid afferat. Rotericus Pina, præterquam lib. 2. de virulento illo, inueterati inter Regem Ioannem, & Brigantinos Dynastas, odij impetu pleraque refert, multis alijs suæ historiæ locis, Ducis fidem, verborũ, & sententiarũ pondere, maximè commendat; nusquam verò, pro supplicio de eodem sumpto, caussas adductas probat, necdum elucidare ausus est. Damianus Goensis, mirâ analogiâ, stilo, in mysterij speciem, prudentissimè composito, Ducis ruinam, calamitates, & ærumnas publicas appellat. Nuperi scriptores in eandem partem inclinant. Mariana, lib. 24. de rebus Hispan. cap. 23. à Ioannis Regis, in quem pro noxâ, amarulentiam vertit, & stili mucronem, truculentiâ, & dicacitate hanc tragœdiam fluxisse testatur. Bernardus Brutius, D. Bernardi instituti assecla, Lusitaniæ Regũ Historiographus Maximus, in Elogijs de Regibus Lusitanis, Ducis crimen, leuiori supplicio, potuisse coerceri affirmat. Acerbum, in Brigantinum, Ioannis decretum Hieronymus Romanus, è D. Augustini contubernio, in opusculo de Præsulibus Braccarensibus incusat. Huius vestigijs inhæret Iacobus Mellius Pereyra, D. Mariæ Tentugalensis Prior, vir optimus, & erudi-

tus,

tenserent. Satis superque eorum nullum ad rem firmandam idoneum. Nam si vt placet liuidis, crimen læsæ maiestatis existimatur, nec ad hoc suadendum singulares testes quid faciunt, cum crimen ex vno, & specifico actu, vt cum Farinacio loquar, de oppos. contra dicta testium, quæst. 64. num. 222. probatur. Quia tunc singularitas proculdubio in testibus illis fidem eleuat. Accedit ex cohorte legumperitorum. Folle in practicâ crimin. verb. *Item quod commisit crimen læsæ maiest.* num. 3. Osasc. Decis. Pedem. 79. num. 39. Petram. in tractat. de fideicomiss. quæst. 12. numer. 722. Hi verò qui in Ducem hanc labem testantur, vt ex actis ipsis constat, singillatim de vnâquâque noxâ verba faciunt, sed diuerso adhuc stilo; alius se audijsse, quidam epistolas inuenisse, hic suspicatum esse, nullus proditionem factam asserit. Sed quæ ineptiæ crimen læs. maiest. appellare ciuile, & honestum (hoc enim in capite, tota quodammodo res vertitur) cum Castellę Regibus, sanguine propinquis, & veterrimæ amicitiæ iure copulatis cōmerciū; & tumorem aliquem, atque elationē viri in Rep. potissimi, verbis modo, modo ipsâ formâ regiâ manantem? Dicito proteruiam, aut, si acrius, peruicaciam. Quæ si crimina, leuia sane;
& si

& si punienda post diutinam probatissimorum testium discutionem, leui sugillatione coercere satis. At qui testes? idonei ne, habiles, & omni exceptione maiores? Quin inepti, inhabiles, à fide longe semoti, præmijs inhiantes, nullâ fulti prudentiâ, iisdemque qui facilè præ inscitiâ, non vt ille alius præ argutiâ, facerent: *Candida de nigris, & de candentibus atra*. Arduum est profectò, homuncionem in clientelam precibus tandem adhibitum, de ijs iudicium ferre, quæ vir optimus, dignitate, & opibus, á Rege secundus versat in pectore. Igitur non idoneus, nec habilis, ad testimoniũ dicendum: Similitudo enim, & æqualitas idoneum reddit & habilem. Huiusmodi autem testes inhabiles, si de crimine non excepto, quo in numero est proteruia, & elatio, quam faciunt fidem? Addiscito nullam, ex Bald. in leg. f. num. 5. vers. *Quædam est probatio maior*. Plures ad eandem leg. ex recentioribus idem tenent. Inclinant in hanc partem sexcenti alij, quos citat, & sequitur Farinacius de oppos. contra personas testium, quæst. 62. num. 22.

Nec tibi prodigium, aut anilis fabella videatur, ex similitudine idoneum reddi testem. Ex Sueton. eruditioribus liquet, num. 56. in August. *Testem se in iudicijs, & interrogari, & refelli aequissi-*

æquissimo animo patiebatur. Quando interrogabatur? quoties vel ciuilis controuersia inter potentiores, vel crimen, pro milite strenuo ventilaretur; quos sibi pares optimus princeps existimabat. Refelli autem eueniebat, cum ad turbam caussa spectabat, à quâ imperator, etsi rem calleret, admodum distabat. Facit pro hac sententiâ Marcellus Donatus, in elucidationibus vberrimis, ad Suet. prope calcem huius numeri, in hanc periodum *Affuit & clientibus, sicut scutario cuidam, euocato quondam suo, qui postulabatur iniuriarum*. Eo enim in loco, euocatum militem strenuissimum, cui par erat adesse imperatorem, testem idoneum, plurimis testimonijs firmat.

Silentium (alterum est sycophantarum argumentum) in negotio arduo Fernandus seruari voluit? Fateor, non vt sceleratum se proderet, imò vt innocentem, & integrum testaretur. Adde intrepidum, quæ maxima euecti ad sublimiora virtutis laus. Crimina Duci, sub maiestatis læsæ nomine obijciuntur. Tacet omninò, obmutescit, vtrumque comprimit labellum. Qui enim respôdere putat necessarium, aliquâ labeculâ, à quâ purgari studet, aspersum se fatetur. Qui perstat in silentio, integerrimum se, atque à crimine omnino alienum patefacit. D. Hieronymus in hanc

opinionem ducit, in vitâ Paulli Eremitæ. Nil ad nugas, quæde tanto viro iactabantur, vt cadant, respondet. Nam si refelleret, quid illarum verum fuisse, vel eâdem disserendi in contrarium alacritate, indicandum putauit. En testimonium, ex tom. 1. *Quorum quia impudens mendacium fuit, nec refellenda quidem sententia videtur.* Impudens mendacium, tantum facinus sibi in noxis inditum, Fernandus est arbitratus, vt solutum se eo nexu persuaderet, nullum ad obiecta facit verbum.

Dilucidius hominis integritas, ex verbis cum Paullo, cuius suprà notitia inculcata, vltrò citròque habitis (ex epistolâ, constat eiusdem sacerdotis autographâ, quæ in Historiographi regij, apud Lusitanos, Maximi codice, Portugalliæ veteris primâ parte inscripto, fol. 19. reperitur) vel ipsis inuidis patet. Bis enim à viro theologo, eodem nempè Paullo, *an clades illa martyrium posset dici?* Constanti animo est sciscitatus. Nam qui martyres insontes, ad supplicium rapi audierat, cum se, & insontem, & ad supplicium raptum conspicaretur, argutè intulit, martyris honore condecorari. Refert. P. Paullus, eâdem in epistolâ, Fernandum morti proximum, misso ad regem cliente, qui er-

rato-

ratorum veniam postularet, addidisse: *se quoque eidem regi libenter veniam impertire*. Viro namque orthodoxo, opus est visum, in eas angustias coacto, pro sinceritate religionis prodenda, sponte cum beneficio veniæ, à quo insons damnabatur, prosequi. En sibi Dux conscius tacet ad obiecta, quia insons, & vel à criminis suspicione omnino alienus.

Et intrepidus Fernandus, hac fiducià, ipso silentio, inculcatatâ, mihi probatur. De linari iudicium, & supplicium, si vellet, Socrates posset. Vtrumque parui duxit, vt se maximis in periculis, maximè virum ostenderet. Seneca, Epist. 24. *In carcere Socrates disputauit, & exire (cum essent, qui promitterent fugam) noluit, vt duarum rerum grauissimarum, hominibus metum demeret, mortis, & carceris*. Noluit Fernandus in carcerem coniectus, clade etiam imminente, pro vitâ, & libertate, cum facilè posset, crimina diluere, petitis è iure formulis, vt qui eatenus viuendi honestè in Rep. normas suo exemplo præscripserat, iam morti proximus, aduersa tolerandi, & necem ipsam generose, suscipiendi leges traderet.

CAPVT XXXXI.

Primo, & secundo criminum, in Ducem Fernandum capitibus fit satis.

OBijcitur Fernando, primo in loco, *sinistrè Regem Ioannem sermone lacerare.* Eo inficias. Vile hoc vitium, & imbellibus commune, qui linguâ saltem, manu inualidi, vlciscuntur iniuriam. Nec testes ad rem quid momenti attulére. Igitur siquando libertate vsus, neminem læsit, quâ ratione regis maiestatem? Illa enim liberi animi præstantia, eximia est virtus, nunquam in labem flectitur. Crispum Iuuenalis, Satyr. 4. miris animi dotibus præditum depingit, sub Domitiano Imperatore. Eas verò omnes corruptas, animi ignauia asserit, quod in caussa fuit, vt ad senium perueniret, sed turpe.

Ille igitur nunquam direxit brachia, contra
Torrentum, nec ciuis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitã impendere vero.
Sic multas hyemes, atque octogesima vidit
Solstitia, his armis, illâ quoq; tutus in aulâ.

Verte,

Verte, pro Fernando Duce

Ille igitur semper direxit brachia, contra
Inuidiam, nam ciuis erat, qui libera posset
Verba animi proferre, & vitã impendere vero.
Sic pauca hyemes.

Instas: Regem tamen Ioannem cauillis impetebat. Etsi impeteret, id silentio prætereundem, ab optimo imperatore, & sacrarum legum normis apprime instructo. Fecit Augustus, à ritibus orthodoxis alienus, in caussã ignoti hominis, quid in propinqui Christi sacris inibutus? Suet. num. 51. *Quâdam verò cognitione, cum Æmilio Æliano Cordubensi, inter cætera crimina, vel maximè obijceretur, quod malè opinari de Cæsare soleret, conuersus ad accusatorem, commotoque similis.* Velim, inquit, hoc mihi probes, faciam sciat Ælianus & me linguam habere, plura enim de eo loquar. *Nec quidquam vltrà aut statim, aut postea inquisiuit. Tiberio quoque de eadem re, sed violentius apud se per epistolam, conquerenti ita rescripsit.* Ætati tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimirum indignari quemquam esse, qui de nobis male loquatur, satis enim est si hoc habemus, ne quis nobis malè facere possit.

Plures alij imperatores, in his se nugis conniuent. Consule Theodosium, Arcadium, & Honorium.

norium, leg. vnicâ. C. *Siquis imperatori maledixerit.* Ita præscribunt: *Siquis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto, nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulentiâ turbulentus, obtrectator temporum nostrorum fuerit; cum pœnâ nolumus subiugari; neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere; quoniam si id ex lenitate processerit, contemnendum est; si ex insaniâ, miseratione dignissimum; si ab iniuriâ remittendum.* Decretum si requiras, inuenies in Codice Theodosiano, leg. vnicâ; lib. 9. tit. 4. Inde excerpsit Zonaras Grajus interpres, in capit. 18. de actis Apost. Placuit Alfonso Regi sapienti, sapientissima norma; transtulitque in leg. final. tit. 2. part. 7. In eâdem sententia fuisse Tiberium refert Dion; arrisisse Aelialio Spartianus est auctor. Nec offundat tibi nebulam verbum illud, *remittendum*, ab Accursio cursim explanatum: *Quod sit remittendum ad principem, vt ipse de eo statuat.* Græce primum decretum lucem vidit. A Græcis, quorum opuscula Accursius non legit, interpretari disce. *Remittendum*, explicat illorum cohors συγχωρητέον *veniâ donandum.* Fidem adhibebis, ex alijs iuris testimonijs. In leg. *Omne delictum*, 6. §. 7. *Per vinum*

num, aut lasciuiam lapsis, capitalis pœna remittenda est, ff. *De re militari*. Et in leg. 3. §. 2. *In his autem, qui sunt in aliquo honore positi, relegatio, vel ab ordine motio remittenda est*. Accedit Tacitus, lib. 1. Annal. *Remisit Cæsar adroganti, moderatione*. Græcorum sententiæ fauent Theoricorum princeps Cujacius, in recit. ad leg. vnicam: *Siquis imperatori maledixerit*; ex Pragmaticorum turbâ Iacobus Menochius, lib. 2. de arbitrarijs, cent. 4. cas. 377. num. 9.

Nec proditionis crimen, si crimen est, principem verbis acrioribus proscindere est pendendum. Decernit ita Aymon, consil. 6. per totum; Ruinus, consil. 145. volum. 5. Didacus Perez, in leg. 1. tit. 7. lib. 8 ordinamenti, pag. 197. vers. *Est præterea*, Azebedo, in leg. 1. tit. 8. lib. 8. nouæ recollectionis, numer. 30. Patet doctrinæ huiuscemodi argumentum, ex pœnæ genere; neque enim, quæ à fidei alienatis imponitur, huic audaciæ adscribitur: Luculenter tradunt Gigas. De crimine læs. maiest. lib. 1. tit. *Qualiter; & à quibus crimen læs. maiest. committatur*, quæst. 40. num. 1. & 9. Ignatius Lopez, in addit. ad Bernardum Diaz, in practicâ criminali canon. Rubric. *De Maledicis*; cap. 60. & 66, lit. A. ad finem. Mascardus. De probat.

lib. 1. concluſ. 462. num. 39. Farinacius in praxi criminali, quæſt. 105. inſpect. 50. num. 407. pluresque alij, quos numerare labor. Supplicium ergo pro crimine vulgari huius notæ, peculiare, ex iudicis arbitrio ſignandum. Præter iuris vtriuſq; peritos, firmant hanc ſententiam, & leges Romanæ, quarum mentio ſupra, & Hiſpanæ. Caſtellæ quidem final. tit. 2. part. 7. Portugalliæ verò, lib. 9. ordinamenti, tit. 7. *Dos que dizem mal del Rey*. Concepta verba accipito. *E ſer lhe hadada à pena, cõforme à qualidade das palauras, peſſoa, tempo, modo, è tençam, com que forem ditas*. Patrocinantur canonica decreta, cap. 1. *De maledicis. Ipſum à temeritate ſuâ compeſcas, vt pœna illius, alijs terrorem incutiat, ne de cætero, contra Romanam Eccleſiam, in talia verba prorumpãt*. En meridianâ luce apertius argumentum, quo liquet ex interpretum omnium ſententiâ, dicacitatem, & ſales etiam nigerrimos, à læſ. maieſt. offenſâ, longè lateque recedere.

Secundò Duci obijcitur, *animo regem moleſtiâ afficiendi, in Caſtellæ Regum obſequium, maximè propenſum ſe exhibere, mutuâ epiſtolarum viciſſitudine, quibus Luſitaniæ arcana, & Ioannis curas, induſtriâ, & calliditate inueſtigatas reuelabat*.

Epiſto-

Epistolarum commercium liberè fatemur, arcana regni reuelari, in huiusmodi litteris, negamus serenâ fronte. Exemplaria asseruantur, in lucem emitti liceat, & verba perpendere. Nullus ingenio, & ingenuitate clarus, tam petulanter indicia scrutabitur. At regni, inquis, arcana, quâ valuit ratione, patefecit. Etsi id probares, nil probares. Neque enim in hac proditione, maiestas regia læditur, si in eam incidit alius à Cõsiliarijs. Consule, lib. 5. ordinamenti Lusitaniæ, tit. 9. quales proditionis insimulat, ob reuelata arcana. *Toda à pessoa do nosso conselho, de qualquer estado, è condicã que seia, que descobrir os segredos.* Ex num. 2. dilucidius conuincitur: *E se ò Regedor, Gouernador, ou Desembargador nosso descobrir qualquer segredo.* Ex iuris Cæsarei fontibus, Menochius de arbitrarijs, lib. 2. cent. 6. cas. 537. à num. 3. Farinacius, quæst. 113. insp. 6. à n. 204. pluresq; ab vtroq; citati, in hanc sententiã tutissimè ducunt.

Initas Brigantinum, feudi caussâ, atque etiam de seruandâ fide, iurisiurandi nomine, ijsdem officijs erga regem, quibus Consiliarij, obstringi. Respondeo, in eâdem adhuc sententià, Fernandum Ducem minimè posse proditionis accusari, licet per epistolas reuelarit omnia regni arcana, quæ in consilio regio, se non ascito sunt ventilata.

tilata. Ad hæc enim reticēda, Consiliarij, nec taci tè, nec apertè cōpelluntur. Ea verò in lucē prodere, quæ silentio inuoluere nunquam sum pollicitus, nec majestatem lædit, nec criminis notam inurit. Excerpitur hæc doctrina, ex lib. 2. feudorum, tit. 5. *Qualiter vasallus iurare debeat domino fidelitatem.* Ita enim ad silentium Consiliarius sese obstringit: *Neque id, quod mihi, sub nomine fidelitatis, commiserit dominus, pandam alij.* Eodem, lib. 2. tit. *De nouâ formâ fidelitatis*, apertiùs: *Etsi aliquid mihi secretò manifestaueris, illud sine tuâ licentiâ, nemini pandam.* Confirmant Matth. de Afflict. in c. 1. nu. 25. *Quibus modis feudum amittatur.* Hieronymus Gigas, in tractat. *De crimine læs. majestat.* tit. *Qualiter, & à quibus crimen læs. maiestat. committatur*, quæst. 21. num. 24. Tiberius Decianus, in tract. criminali, lib. 7. cap. 17. numer. 7. Cæteros in hac parte merito, & iure antecellit Menochius, de arbitrar. lib. 2. cent. 6. casu 537. num. 2.

Verum licet Dux Fernandus, & arcana regni patefecerit, & feudi, ac iurisiurandi officijs defecerit, quod fictum totum, & commentitium est, à proditionis notâ longè ab esse putaretur, vel eo nomine, quod inter Castellæ Reges, &

Ioannem

Ioannem nulla discordia intercesserat, eâ tempestate, nec indictum erat bellum; quod in patefactis arcanis, vt læsæ majestat. crimen existimetur, desiderant prudentiores. Firmat, si de litterarum commercio sit sermo, Vlpianus, leg. 1. ff. *Ad legem Iuliam majest. Qui ve hostibus P. R. nuntium, litteras vè miserit.* Fauet, lex 1. titu. 18. nouæ recollectionis. *O les embiare carta, ò mandato, porque se aperciban en alguna cosa, contra el Rey*, si verba hæccc, ad illam eiusdem legis sententiam referas. *Con los enemigos para guerrear, ò hazer mal al Rey.* Perspicuè res liquet, ex lib. 5. ordinamenti Lusitaniæ, tit. 6. num. 4. *O quarto se algum der conselho, à os enemigos do Rey, por carta.* De arcanis alio pacto reuelatis, idem testatur Arrius Menander. in leg. *Omne delictum*, 6. §. 4. ff. *De re militari.* Hæc legis verba. *Exploratores, qui secreta nuntiauerunt hostibus.* Accedit suffragator Paullus, leg. *Si quis*, 38. §. 1. ff. *De pœnis.* En legis sententiam: *Transfugæ ad hostes, vel consiliorum nostrorum renuntiatores.* Exprimit, lex 1. tit. 18. lib. 8. nouæ recollectionis. *I si alguno descubriere à los enemigos, puridades del Rey.* Declarant, & tuentur Gigas Decianus, & alij, quos refert Menochius, dict.

dict.caſ.537.num.5.& 6.& 7.Farinacius,quæſt. 113.num.218.

Præterea, vt proditionis nota Fernando inureretur, non arcanorum propalatio ſatis, facta ad hoſtes,cõtra ius,& æquum. Vlterius patere oportuit,cũ hoſtili,& maleuolo animo,ita de bacchatum, vt Regi Luſitanorum, & Reip. vaſtitatem moliretur. Conſtat ex leg.1.ff. *Ad legem Iuliam maieſt.* meridianâ luce perlucidius. *Qui hoſtibus P.R. litteras miſerit,fecerit vè dolo malo* Nec nõ ex lib.1.feudorum, tit. 17. *Quibus modis feudum amittatur.* Inde excerpo. *Vel ſi credentiam, ad eorum damnum,ſcienter manifeſtauerint.* Et ex 2. feudorũ,tit.5.*Qual. Neq̃ id quod mihi ſub nomine fidelitatis commiſerit dominus, pandam alij, eius ad detrimentum,me ſciente.* Accedit ad luc. lex 1. tit. 18. lib. 8. nouæ recollectionis. *O les embiare carta,ò mandato, porque ſe aperciban en alguna coſa,contra el Rey, en daño de la tierra.* Iterum eadem lex. *I ſi alguno deſcubriere à los enemigos, puridades del Rey, à daño del.* Cõprobant Iſernia, & Matth. de Afflict. lib. 1. feud. citat. tit. *Quibus modis feudum amittatur*; Proſper Carauita, in Comment.ad ritus magnæ curiæ,tit.3.num.6.in fine;Boſsius,in practicâ criminali, tit.de crimine læſ.maieſt.num.17.& ſequenti;Gigas de crimi-

ne

ne læſ.maieſt.lib.1.Rubric. *Qualiter, & à quibus crimen læſ.maieſt.committatur*, quæſt.21.num.8. & ſequenti; Menochius de arbitrarijs, lib. 2. cit. cent.6, caſ.537.num.6.& 7.& 23. Farinacius, citat.quæſt.113.inſpect. 6. num. 221. & alij ab his adducti. Azebedo, in leg.1.citat.tit.18.lib.8.nouæ recol.num.128. Integer ergo à labe maieſtat. læſ. Dux Fernandus, qui ad Caſtellæ Reges, veteri amicitiâ, & ſanguinis nexu, ſibi coniunctos ſcriptitabat, de ijs rebus differens, quæ ad beneuolentiam, & officia mutua, peculiariaque nonnulla negotia, tantùm ſpectabant. Quod quidem cōmercium, integrâ regis patrij maieſtate, exercere licuit, ex ſententiâ Raphaelis Cumani, in leg.1.num.11.in fine, verſ. *Nam ſi de aliquo negotio priuato*, ff. *Ad legem Iuliam maieſt*. Boerij, in tract.de ſedit.quæſt.6. num.15. Gigantis, lib. 1. de crimine læſ.maieſt.Rubric. *Qualiter & à quibus, &c.* quæſt. 20. in principio, verſ. *Hoc ſanè intelligē*, num.4.& ſeq. Folleri, in practicâ criminali, Verbo: *Item quod commiſit crimen læſ. maieſt*.num.8, Farinacij cum alijs, quos citat, de crimine læſ.maieſt. quæſt. 113.inſpect.1.num.27. Quæ ſententia pro Duce Fernando, eò potius vrget, quò apertius liquet nullam tunc Regi Luſitano, cum Caſtellanis ſimultatem obtigiſſe.

Nec

Nec, si id incommodum obstaret, & Brigantinus, quod seriò negamus, Ioannis arcana, Castellæ Regibus enuntiasset, læderet majestatem Lusitani; neque enim, vt in obiecto criminis cap. patet, id moliretur, hostili in regem, sed maleuolo in Ioannem animo, ob nonnullas peculiares caussas, quibus à Ioanne læsum se Dux fuerat expertus. Qui verò regem, aut imperatorē, non vt principem, sed priuatum veluti, odio, aut calumnijs insectatur, à læs. majes. crimine longè abest. Hanc sententiā firmat, & defendit Martinus Laudensis, de crimine læs. maiest. q. 21. ex Bart. quem laudat, in leg. *Hostes*, ff. *De captiuis*, *&* *postlim*. Quo in loco hanc humaniorem appellat conclusionem. Suffragantur Foller. in pract. crim. Verbo: *Item quod commisit, &c.* num. 109. Caretius in pract. tract. 1. de appellationibus, §. *Vndecimus casus est*, num. 9. vers. *Et idem in principe*. Bossius, in tit. de crimine læs. maiest. q. 118. §. 4. num. 32. & num. 46. Ducem verò, si hoc cōmercio fortè Ioannem læsit, in priuatum veluti petulantiam effudisse, perspicuè cōstat, ex fide, ab eodem Duce, cæterisque Brigantinis Dynastis, à quibus ortus, erga Ioannē, etsi à se auersum, & mille in dies offensiones ingerentem; illiusq; maiores Lusitaniæ Reges, sanctè admodum, & inte-

integerrimè seruatâ. Coniecturas hasce satis probant Rolandus, lib. 3. consil. 1. num. 35. vers. *Sed in casu præsenti*; Menochius, lib. 2. consi. 99. num. 11. & sequent. Farinacius de crimine læs. maiest. loc. citat. num. 52. Tandem si ex historiâ ipsâ, & coniecturis minimè posset decerpi, Fernandum, in regem, priuatum ueluti, simultatis indicia protulisse, re ambiguâ, & neutram in partem, apertè veri faculas emmittēte, ita fas est de negotio hoc sentire, ex sentent. Menochij. cit. lib. 2. consi. 99. num. 16. Deciani, in tract. crimin. lib. 7. cap. 5. num. 5. in fine, vers. *In dubio vero*. Vterque testem citat, & sequitur Rolandum, loc. adduc. & in lib. 1. consi. 18. num. 352. Firmat cum pluribus Farinacius, cit. quæst. 118. §. 4. num. 54.

Commeatum, signato capite, parabam. Reuocauit Catholicorum Regum majestas, quæ Ducis integritatem, cæteris argumentis, & iuris adminiculis, multò præstantius tuetur. Scelestum epistolarum commercium, cum Regibus Castellæ, prudentissimis, pietate in Deum, beneuolentiâ, in omnes mortales celeberrimis credes? O impietatem! ò scelus! in quod Catullus.

——— *Quantum non vltima Thetis,*
Non genitor Nympharum abluat oceanus.

Aude-

Auderet Brigantinus, ferrent nè integritatis, quæ iam in Quarto, post tres optimos, Philippo elucet, progenitores? Apage. Ego verò iureiurando inficiabor. Atheniensis ille Ethnicus vilissimum consilium, in quo vtilitas maxima Reip. per fraudes vertebatur, palàm dixit, & dissuasit; religionis orthodoxæ, præ omnibus mundi principibus, cultores amplecterentur, captarent, suaderent? Mutuum hoc litterarum commercium, honestissimum, & æquissimum nuncupato; ad eos enim reges spectat, quorum fides, integritas, prudentia nullam vnquam doli, aut fraudis vmbram ferret.

CAPVT XXXXII.

Pro 3. 4. & 5. criminum libelli capitibus.

TERTIO, crimini vertitur Brigantino, *silentio præteriisse Marchionis Comitis stabuli, fratris sui, insanos tumores, & perfidiam notissimam, contra fidem regi præstitam, in ciue sanctiorem, sanguinis necessitudine.* Vix credam

dam id læſ. majeſt. noxam Ioanni Regi ſolertiſſimo viſum. Morigeri in eam ſententiam, vellet nollet, detruſêre. Montis maioris Marchio, nil in regis ruinam molitus, nec vt Ioannem opprimerent, fratribus ſuaſit. Quid ergò? Conſuluit eoſdem, an liceret tyrannum interimere? necnon in tyrannorum numero eſſet Ioannes recenſendus? Hanc deliberandi licentiam ſi adimas optimis ciuibus, citra vllius facinoris ſuſpicionem, imò ſi encomijs non exornes, ob hanc libertatem, actum eſt de genere humano. Nullus erit ad regni faſtigium euectus, qui ad tyrannidem non deflectat. Mariana vir apprimè induſtrius, & maximè eruditus, in ſuo primo de regis inſtitutione, libro, cap. 6. pro regiâ auctoritate valde ſolicitus, ex præſtantiorum vtriuſque iuris doctorum, & theologorum omnium ſententiâ id licere, & tutò licere teſtatur. *Atque ea expedita maximè, & tuta via eſt, ſi publici conuentus facultas detur, communi conſenſu, quid ſtatuendum ſit, deliberare, fixum, ratumque habere, quod communi ſententiâ ſteterit. In quo his gradibus procedatur. Monendus in primis princeps erit, atque ad ſanitatem reuocandus. Qui ſi morem geſſerit, ſi Reip. ſatisfecerit, peccataque correxerit vitæ ſuperioris, reſiſtendum arbitror, neque acerbiora remedia tentanda.*

tanda. Si medicinam respuat, neque spes vlla sanitatis relinquatur, sententiâ pronunciatâ licebit Reipub. eius imperium detrectare primùm, & quoniam bellum necessario concitabitur, eius defendendi consilia explicare, expedire arma, pecunias in belli sumptus, imperare populis; etsi res ferret, neque aliter se Resp. tueri posset, eodem defensionis iure, ac verò; potiori auctoritate, & propriâ principem publicum hostem declaratum, ferro perimere. Sedit in illo conuentu, apud Deiparæ Spinitensis cœnobium habito, publico quidem, quod inter plures, arcano ptæ rei pondere, Regem Ioannem â tyrannide longè abesse; monendum tamen patrias leges seruaret, suas Dynastis immunitates restitueret. Id omnibus placuit, resipuit Marchio, ad regem nuntius missus, quid hic peccatum? Nil, vel parum â Marchione. A Duce quid si tacuit? Nil sanè contra regiam majestatem. Eos qui perfidiam meditati, nil contra fidem exercent, nequaquam majestatem principis læsisse tuentur Iacobus Butrigarius, in leg. *Quis quis*, colum. 2. post medium, vers. *Aliquando cogitauit, quando processit ad actum verbi*, C. ad legem Iuliam majestat. Follerus in pract. criminali. Verbo: *Item quod commisit crimen, &c.* num. 86.

86. & 87. & in fragmentis, num. 70. & 72. alijque à Farinacio citati, de crimine læsæ majest. quæst. 116. inspect. 2. num. 167. Apertè infertur, Brigantino proditionis notam immerito inuri, eo quod Marchionis fratris, qui nullum læs. majest. crimen perpetrauit, animũ in regem, sæuientem non retexerit.

Adde Ducem Fernandum á læsione majest. procul abesse, etsi Marchio, quod constanter, inficiamur, eo crimine teneretur; atq; ipse Brigantinus, nec ad regem, fratrem deferret, nec saltem verbis, & auctoritate, àb eâ amentiâ deterreret; quod quidem, vt ex historiâ iam patet, prudentissimè effecit. Nam inter iuris Cæsarei peritiores, ad conscium, & de re silentem, minimè læsæ majest crimen extendi decretum. Sunt in hac classe Felinus, cap. *Quantæ*, colum. 2. *De sententiâ excommunicationis*, & capit. 1. colum. 2. *De officio delegati*; Hippolytus de Marsilijs, in leg. *Vtrùm*, colum. 1. ff. *Ad legem Pompeiam de parricidijs*; Alciatus pluribus in locis, quos congerit Iulius Clarus, lib. 5. sentent. §. final. quæst. 87. vers. *Punctus est*. Menochius de arbitrarijs, lib. 2. cent. 4. cas. 355. num. 13. Azebedo ad leg. 1. tit. 18. lib. 8. nouæ recollect. à num. 63. vsque ad 70. Opposita sententia,

in quam nonnullos Bartulus induxit, adeò sæua, & rationi dissona, atque humanitati existimatur, vt à citatis auctoribus asseratur protulisse Baldum, in consilijs, non aliâ de caussâ, in Tartaro Bartulum torqueri, nisi quod in eam inclinasset. Fauet Salicetus, in leg. 1. C. *De raptoribus virginum*, dum iudices, qui eam amplectuntur, suarum mentium homicidas appellat. Pro nostrâ hac humaniori, & concinniori opinione, stat lex 9. tit. 13. par. 2. quo in loco Rex Alfonsus sermonem texens de conscijs proditionis, qui cum id crimen impedire possent, renuissent hanc prouinciam, in hæc verba prorumpit: *Porque deuen auer tal pena, en los cuerpos, i en los aueres, segun fuesse aquel mal, que pudießen estornar, i no quisiessen.* Planè infertur ex hoc decreto, minimè ad proditionis notam reuocandum, qui illius conscius tacuit, cum lex nostra, eo crimine maculatum, iudicis prudentioris arbitrio plectendum, non vsitatâ pro proditione pœnâ, sed quâlibet aliâ statuat. Hanc sententiam amplectitur, & probat dilucidè Azebedo, leg. 1. tit. 18. lib. 8. nouæ recol. num. 7.

Attamen, regi notum facere de alterius proditione, inter ea, quæ ad officium ciuis spectant, respondeamus. Adhuc à proditione abest, qui in

hac

hac parte ignauus, si qui perfidiæ indicia prætulit, in fide religiosissime anteà præstiterat; de quo nequaquam est credendum, ad ea, quæ præcipiti quodam impetu explicauit, peragenda tandem deuenturum. Hac in classe sunt principis familiares, & necessarij; ad quem numerum quis, si Marchionem inde eijcias, spectabit? Firmat & sequitur hanc sententiam Decianus, lib. 7. capit. 34 num. 23, & 24. Azebedo, loc. supra citat. num. 85. vers. 5.

Præterea quicunque perfidum, in regem, ciuem agnoscit, satis superque pro suo officio se gerit, si hominem proditionem molientem, à proposito deterreat. Cõstat ex cit. leg. 9. tit. 13. part. 2. *I aquellos que entendiessen el mal, ó el daño de su señor, i no lo desuiassen.* Iterum Paullo infrà: *Porque deuen auer tal pena en los cuerpos, i en los aueres, segun fuesse aquel mal, que pudieron esturuar, e no quisieron.* Cæsarei iuris decreta plurima hanc doctrinam suadent, lex, *Vtrum* 6. ff. *Ad legem Pompeiam de parricidis*, lex vnica. §. *Pœnas*, vers. *Cæteros*, C. *De raptu virginum*, lex 1. §. *Quod si quis*, 18. & §. *Quid ergo*, 2. ff. *Ad senatus consultu Sylanianu.* Tradunt Antonius Gomesius, 2. tom. de delictis, cap. 2. num. 9. vers. 3. *limita*, Azebedo citat. leg. 1. tit. 18. num. 63. lib. 8. nouæ recolect.

atque alij plures àb his citati. Brigantinus in regem officiosus, Marchionem à penitatâ perfidiâ auertit, ita vt deinceps nil vnquam in Ioannem iactaret indecorum, aut moliretur lethiferum. Nulla igitur in hoc capite perfidiæ suspicio est.

A quâ quidem inhonestâ suspicione Dux eo interuallo abest, vt regi maximè obsequentem fateri foret necesse, etsi Marchio in opinione regem distorquendi perseueraret, Brigantinus verò eius animi conscius, nec crimen fratris ad regem deferret, nec quâ poterat auctoritate, quo minus ad optatum perduceretur, Instaret. Eo solo nomine, quod intercedebat, fraterni sanguinis, à proditionis notâ tutus. Prudentissimè in hanc sententiam argumenta suppeditat Paullus, leg. 2. ff. *De receptatoribus.* Decreti sententia huiusmodi: *Eos verò apud quos affinis, vel cognatus latro conseruatus est, neque absoluendos, neque seuerè admodum puniendos; non enim par est eorum delictum, & eorum, qui nil ad se pertinentes latrones recipiunt.* Licet enim in hac lege, nulla de proditionis crimine mentio, ad id quoque aptandam, à rationis pari fulcro, sentiunt Gigas, lib. 3. de crimine læs. majest. Rubr. *De pluribus, & varijs*, quæst. 10. num. 5.

num.5.& Farinacius de crimine læſ.majeſ.quæſ. 113. inſpect. 9. num.268.& num.274.& quæſt. 112.inſpect.2,num.93.

Quartò obijcitur, *maximo conatu, Caſtellæ Regibus ſuaſiſſe, ne obſidum reſtitutionem fieri paterentur*. Fateor lubens, ita in hoc negotio Brigantinum ſe geſsiſſe. Quod verò crimen ex hac curâ repullulat, aut quæ, pro eâ ſolicitudine, pœna imponenda? Nec leges crimen eſſe hoc commercium ſtatuunt, nec pro eo ſumenda decernunt ſupplicia. Ergo nil hic peccatũ. In Cæſareo enim iure certiſsimum principium eſt, pro nullo errato pœnam decernendam, quæ in ſacrarum legum tabulis non ſit ſtatuta. Fauet, & rem perſpicuè docet lex. *Et ſiquis*, 14. §. *Diuus*, ff. *De religioſis, & ſumptibus funerum*. Accedit Imperator Iuſtinianus, in authent. *De non eligendo, ſecundo nubentes mulieres*, §. *Cum igitur*. Cap. 15. *De ſententiâ excommunicationis*, lib. 6. Adhærent, & cohærent Abbas, & Brutius, capit. 1. ibidem Decius, num. 6. *De officio delegati*. Alexander, conſil. 103. numer. 15. lib. 1. Menochius de arbitrarijs, libr. 2. cent. 2. caſ. 276. cum pluribus alijs, quos citat. Nec in ijs ſanè, quæ ſupplicio coercenda, lex de diuerſâ lata materiâ, ad aliam, circa quam mi-

nimè versatur, vitandi, quod inde repullulat, odij caussâ est deducenda, lex. *Interpretatione*, 42. ff. *De pœnis*, cap. *Pœna*, lex *Generaliter*, 3. 5. 1. ff. *De Decurionibus*. Ita sentiunt, & tuentur citati aucto res. Dilucidius Menochius, cas. 276. num. 22. vbi pro hac sententiâ plurimos refert docto- res.

Sed instas, & vrges: leges in eos, quorum operâ obsides, aut fugâ, aut vi, è potestate re- tinentis euadunt, seuerissimè animaduertendum, veluti in perfidiæ reos docent, ac proinde, ra- tione haud dissimili puniendus, cuius industriâ, vel fraude, obsides restitui interdicitur; cum in vtroque exemplo, dolus perfidiæ index repe- riatur, conditio ad proditionem notandam, eum in modum consona, vt illius solum mentionem facere leges de hac re latæ videantur, lex. 1. *Quo tenetur is, cuius operâ, dolo vè malo consilium initum erit, quo obsides iniussu principis inter- ciderent*, lex. *Cuiusque*, 4. *Cuiusuè operâ, dolo vè malo factum erit, quo magis obsides, &c.* ff. *Ad le- gem Iuliam majest.* Tradunt Folle. in pract. ver- bo: *Item quod commisit crimen laes. majest.* num. 7. & 10. Farinacius de crimine læs. majest. quæst. 117. inspect. 2. num. 27. Respondeo ve- rum quidem esse existimandum, dolum in his crimi-

criminibus præcipuè, vt perfidiæ nomenclatura fœdentur, expendendum; attamē non id sufficere; esse enim opus, dolus in id tendat, vt principi, aut Reip. maximum inferatur nocumentum. Testantur leges citatæ, & pene omnes interpretes. At Dux Brigantinus cum Catholicis Regibus Fernando, & Isabellâ, de obsidibus retinendis consilium, non in Regis Ioannis ruinam, aut Lusitaniæ totius vastitatem, verùm peculiaris, quod inde sibi captabat, commodi gratiâ, communicauit.

Quintò Brigantinus insimulatur, *anteactis comitijs, arcanas vrbium legatis, directiones, & libellos dari curasse, vt regis decretis contradicerent.* Esto, Dux in hanc curam deflexerit, atque etiam ijs assentiamus, qui huiuscemodi suasiones, inter læs. majest. crimina recensent. His tamen facilè concessis, eo inficias, à Brigantino, in hac parte, contra fidem regi seruandam peccatum. Quicquid illis in comitijs, rex edixerat, aut postulauerat, nouum, inauditum, minimè æquum, aut aliorum, qui anteà floruerant, regum decretis consonum erat. Principi verò hæcce imperanti repugnare, vtque cæteri obsistant, dare operam, à perfidiæ crimine multum abest. Docent Decianus, in tract. crim. lib. 7. cap. 33. num. 2. & cap.

49.num.27.Farinacius de crimine læs. majest.q. 112.inspect.1.num.57.& plures alij.

Præterea notum est principem, aut Dynastam, feudi ius in ciues habentem, ab eo, quoties quidlibet feudi legibus contrarium, in obsequentium damnum patrauerit, decidere, cap. 9. tit. 26. *Si de feudo d. functi*, lib. 2, feud. tit. 47. *Qualiter dominus*. Obsequentes autem iureiurando statim exsoluuntur, capit. *De forma*, 22. quæst. 2. tit. *De formâ fidelitatis*, lib. 2. feud. *Dominus quoque in his omnibus, vicem fideli suo reddere debet. Quod si non fecerit, merito censebitur malefidus.* Ita explicat glossa citat. capit. *De formâ*, verbo: *Vicem*; & in titu. 6. verbo. *Philiberti*, & tit. 7. verb. *Vtilitatem*. Nam si princeps à fide in gregem pro dignitate conseruandâ declinat, æquum est ciues, nullâ deinceps in eundem, fidei lege teneri. Citatis in locis glossa docet, dum verbum illud: *Vicem*, lente interpretatur. Fauent Cujacius, lib. 2. feud. capit. 5. Socinus Iunior, lib. 1. consil. 144. vers. *Id quia*. Patrocinatur, & rem dilucidius suadet Gregorij Tertij, in capit. *Peruenit*, 3. de inreiurando, auctoritas: *Nec tu ei etiam, si promissum tuum iuramento, vel fidei obligatione, interposità conditione firmasses,*

ses, aliquatenus teneris, si constat eum conditioni minimè paruisse. Theosophorum Dux, & splendor Aquinas Thomas in eâdem est opinione, 2. 2. quæst. 104. art. 6. in resp. ad 3. *Principibus secularibus, in tantum homo obedire tenetur, in quantum ordo iustitiæ requirit, & ideo si iniusta præcipiant, non tenentur eis subditi obedire.* Fides enim, & officiorum vicissitudo mutua, atque æqualis inter principem imperantem, & ciues parentes reperiatur est necesse. Sentiunt, & probãt Cujacius, cit. lib. 2. c. 1. Matth. de Afflict. in cap. 1. num. 12. *De formâ fidelitatis*, Menochius, lib. 1. consil. 28. num. 19. Quando igitur principis potestati, ex feudi nexu, subiectus, nequaquam contra parendi fidem agit, si à fide, & obsequio, rege, aut principe prius deficiente, recedit, quod ex Alberici sententiâ tenet Gigas, de crimine læs. majestat. lib. 1. Rubric. *Qualiter, & à quibus, &c.* quæst. 54. Decianus in tract. criminali, lib. 7. capit. 33. num. 2. & capit. 49. num. 27. & sequent. Farinacius, quæst. 113. inspect. 2. num. 100. infertur optime Brigantinum ab obsequio regi, & fide præstandâ exsolutum, eâ tempestate, quâ immunitates, & amplissima priuilegia maioribus concessa, ob illius domus, & familiæ splendorem, atque dignitatem, quam feudi

cuiusf.

cuiusdam iure tuebantur, violare, rescindere, auferre nitebatur. Atque adeo, etsi vt fisci procurator arguerat, oppidorum legatis, contra ea, quæ rex decreuerat, vel etiam æqua, & honestissima, quod inficiamur, liberè insurgerent, industriâ, & deditâ operâ suasisset, à proditionis no: à longissimè abesse.

CAPVT XXXXIII.

Postremis criminum capitibus obuiam itur.

FATEOR sanè (quis enim in re adeò perspicuâ, vmbram, & tenebras offusas credat?) Brigantinum, erga nonnullos homunciones, in oppidulis suis degentes, nimis sæuè, & elatè se segessisse; vinculis, & teterrimis carceribus, ne ad regia tribunalia prouocarent, coercuisse; clamitantes, & queritates plurimis affecisse cruciatibus. Quid tamen inde? Patet equidem, priuatum hominem, qui sese in magistratu constitutum effingit, non aliâ ratione perfidiæ insimulandum, & pœnis in proditores decretis

coercen-

oercēdū, nisi id dolo malo fecisse cōstiterit, l. 3. *Qui vè priuatus, pro potestate, magistratu vè, quid* *tens, dolo malo fecerit*, ff. *Ad legem Iuliam majes.* Quo in decreto eruditiores interpretes, verbū illud, *Quid*, de nullo alio, in mortales, quam capitali supplicio statuto explicant. Consule Ioannem Baptistam, à sancto Seuerino, in leg. *Omnes popu.* , num. 32. ff. *De iustitiâ, & iure*, & in leg. *Imperium*, num. 19. ff. *De iurisdictione omnium*. Marsilium, in tract. *De bannitis*, verb. *læs. majes.* à num. 4. Bursatum, lib. 2. consil. 100. num. 78. & sequēbus, Decianum, in tract. crim. lib. 7. cap. 9. num. vers. *Si tamen leuiora*, Menochium de arbitrajs, lib. 2. cent. 4. cas. 320. num. 2. & cum textus gumento, in leg. *Probatorias*, & in leg. *In his*, p. *De diuersis officijs*, lib. 12. leg. final. cap. *De ficio quæstoris*, l. 1. cap. *Vt dignitatum ordo seruer*, leg. *Eos*, §. fin. ff. *Ad legem Corneliam de falsis*. inc liquidò decerpitur, nullo prorsus modo, uci perfidię crimen esse obijciendum; nec iux- Cæsarei iuris sanctiones, capite fuisse plectenm, qui in potestate, & magistratu supremo, ud suos á rege constitutus, nec vllam denuo i imperandi rationem vendicauit; nec quemam mortalium nece affecit, nec quid aliud grā-, & inusitatum patrauit; contentus quâ gaude-

bat,

cuiusdam iure tuebantur, violare, rescindere, auferre nitebatur. Atque adeo, etsi vt fisci procurator arguerat, oppidorum legatis, contra ea, quæ rex decreuerat, vel etiam æqua, & honestissima, quod inficiamur, liberè insurgerent, industriâ, & deditâ operâ suasisset, à proditionis nota longissimè abesse.

CAPVT XXXXIII.

Postremis criminum capitibus obuiam itur.

FATEOR sanè (quis enim in re adeò perspicuâ, vmbram, & tenebras offusas credat?) Brigantinum, erga nonnullos homunciones, in oppidulis suis degentes, nimis sæuè, & elatè se segessisse, vinculis, & teterrimis carceribus, ne ad regia tribunalia prouocarent, coercuisse; clamitantes, & queritates plurimis affecisse cruciatibus. Quid tamen inde? Patet equidem, priuatum hominem, qui sese in magistratu constitutum effingit, non aliâ ratione perfidiæ insimulandum, & pœnis in proditores decretis coercen-

coercēdū, nisi id dolo malo fecisse cōstiterit, l. 3. *Qui vè priuatus, pro potestate, magistratu vè, quid sciens, dolo malo fecerit*, ff. *Ad legem Iuliam majest.* Quo in decreto eruditiores interpretes, verbū illud, *Quid*, de nullo alio, in mortales, quam capitali supplicio statuto explicant. Consule Ioannem Baptistam, à sancto Seuerino, in leg. *Omnes populi*, num. 32. ff. *De iustitiâ, & iure*, & in leg. *Imperium*, num. 19. ff. *De iurisdictione omnium*. Marsilium, in tract. *De bannitis*, verb. *læs. majest.* à num. 24. Bursatum, lib. 2. consil. 100. num. 78. & sequētibus, Decianum, in tract. crim. lib. 7. cap. 9. num. 5. vers. *Si tamen leuiora*, Menochium de arbitrarijs, lib. 2. cent. 4. cas. 320. num. 2. & cum textus argumento, in leg. *Probatorias*, & in leg. *In his*, cap. *De diuersis officijs*, lib. 12. leg. final. cap. *De officio quæstoris*, l. 1. cap. *Vt dignitatum ordo seruetur*, leg. *Eos*, §. fin. ff. *Ad legem Corneliam de falsis*. Hinc liquidò decerpitur, nullo prorsus modo, Duci perfidię crimen esse obijciendum; nec iuxta Cæsarei iuris sanctiones, capite fuisse plectendum, qui in potestate, & magistratu supremo, apud suos á rege constitutus, nec vllam denuo sibi imperandi rationem vendicauit; nec quemquam mortalium nece affecit; nec quid aliud grāde, & inusitatum patrauit; contentus quâ gaudebat,

bat, potestatem, in minimi ponderis negotijs ampliare, proferre, comperendinare.

Tandem si de Dynastis, aut alijs in magistratu collocatis sermo sit, vt quis eorum perfidiæ notâ fœdetur, negatâ inferioribus, ad magistratus potiores appellandi licentiâ, necessum est pateat, in id moliendum, dolo malo fuisse commotum; principisque potestatem, & imperium sibi vsurpare conatum. Ita sentiunt doctores peritissimi, ex illis leg. 3. cit. verbis. *Dolo malo gesserit.* Stant pro hac parte Decianus, in tract. crim. lib. 7. cap. 9. num. 5. vers. *Quæ tamen vera*, & Bartolus à Deciano cit. in leg. *Omnes populi*, num. 14. in vltima quæst. principali, ff. *De iustitia, & iure*, Iason. in cit. leg. *Omnes*, nu. 85. ad finem. Caccialupus, num. 22. idem doctor, in leg. *Imperium*, num. 14. ff. *De iurisdictione omnium iudicũ.* Hondedacus, lib. 1. cons. 100. n. 29. & 30. & cons. 105. nu. 74. Farinac. de crimine læs. maj. q. 114. inspec. 1. nu. 20. Gigas de crimine læs. majest. lib. 1. Rubric. *Qualiter, & à quibus*, q. 55. nu. 1. Brigantinus verò, non dolo malo, aut regiam majestatem sibi vendicandi cupidus, humunciones illos, carcere, & vinculis pressit; sed in eosdem concepto odio, aut contemptu percitus; quâ interueniente caussâ, nullum majestatis læs. crimen exoriri tuentur

Honde-

Hondedacus, citat. consil. 100. num. 23. & sequentibus, Prosper Farinacius, de crim. læs. majest. citat. quæst. 114. inspect. 1. num. 20.

Hæc ad meam trutinam, in hac controuersiâ expendenda, sese vltrò obtulêre. Plura addere facillimum, ni tædium legentis, & oscitationes vererer. Vnum fatear, vt vel imperitis lucescant tandem Cimmeriæ hæce, de Ioanne Secundo, circa Brigantinum, effusæ tenebræ. Consului pro hac causâ dilucidiori dâ, è Salmanticensibus, viros duos, inter cæteros, præstantissimos, (ob singularem vtriusque modestiam, qui sint, taceo) scito moribus probos, claros natalitijs, eximiâ inclytos eruditione, prudentiæ notis, vel priscis illis heroibus conferendos, an anteferendos? Cesarei iuris notitiâ, supra omnes alios, quos vnquam noui, ornatissimos. Vterque & grandia volumina, pro Ducis Fernandi Secundi integritate, posse in lucem dari, & à probitate longè abesse, qui illius innocentiam, publico in theatro tueri, ac defendere recusaret, serio, nec semel est testatus. Huic libenter subscribo sententiæ. Nec ambigerem Socrati, Catoni, Senecæ Brigantinum parem, probitate, libertate, modestiâ, asserere. Constantiâ verò & pietate, quâ cædem est perpessus, cælestibus, qui

qui pro iustitiâ, aut religione sunt interfecti, haud dissimilem contemplor.

CAPVT XXXXIIII.

A Deo Opt. Max. plurimis Ioãnes Rex, pro sauitiâ in Brigantinos impensâ, ærumnis punitur.

ID vnum hactenus Ioanni molestum, in Lusitaniæ regimine, potentiam videlicet Ducis Fernandi ferre, & parem quodammodo pati. Nam diuisum imperium graue.

——— Semperque potestas
Impatiens consortis erit.

Ergo fœlicissimus sibi, Duce iugulato, videbatur; alterum si fas appeteret, hac in pace, Dijs misceri superis. At proh dolor? quæ inconstantia rerum humanarum, cũ se tutissimum, & à curis solutum omnino putabat, huc illucq; curarũ æstu distractus, vix vnquam pòst diem vllum hilarem duxit. Quam verũ illud, & elegans Mart. lib. 1. Epig. 16.

Expec-

Expectant curæ, catenatique labores;
Gaudia non remanent, sed fugitiua volant.

Post caliginosos illos metus, roseo veluti properantis auroræ splendore, & aureâ aduenientis Phœbi luce perfusus, in ludos, publicas hilaritates, gaudia, tripudia, choros animum inclinauit. Quibus vt liberè, & otiosé frueretur, filij nuptias, cum Isabellâ Regum Castellæ prole est meditatus. Tyrus, & Pactolus in Lusitaniam migrarunt, ad huiusmodi sacra exornanda. Quicquid vsquam mollium vestium, & elegantis texturæ excogitatum. Non mentiar, si cum Mart. lib. 2. Epig. 29. canam.

Quæq; Tyron toties epotauêre lacernæ,
Et toga non tactas vincere iussa niues.

Cum Horatio. 2. Epist. 1.

Lana Tarentino, violas imitata, veneno.

Cum Propert. lib. 1. Eleg. 2. visum proferam.

Et tenues Ceâ veste mouere sinus.
Naturæque decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in proprijs membra nitêre bonis.

Si adessem, quoties cum Mart. lib. 8. Epig. 28. plauderem.

Non ego prætulerim Babylonica picta superbè
Texta, Semiramiâ quæ variantur acu.

Non Athamanteo potius me mirer in auro,
Æolium dones si mihi Phrixe decus.

Quæ venationes, quæ viscerationes, quot ignotę feræ in vulgus densum, inopinatò emissæ? Vincit fama fidem, imò res famam superauit. Parum si conferas, quod olim Romæ magnum, Mart. testatur, lib. 8. Epig. 78.

Quos cuperet Phlegræa suos victoria ludos,
Indica quos cuperet pompa lyæe suos.
Non illi satis est, turbato sordidus auro
Hermus, & Hesperio qui sonat orbe Tagus;
Omnis habet sua dona dies, nec linea [illegible]ines
Cessat, & in populum multa rapina cadit.
Nūc veniūt subitis lasciua numismata nimbis,
Nunc dat spectatas tessera larga feras.

Inter cætera equitum peritia, elegantia, virtus quorum oculis admirationem non effudit, & voluptatem? libet aptare, ex Trinacriæ ludis, Virgiliana.

Incedunt pueri, paritérq́; ante ora parentum
Frænatis lucent in equis, quos omnis euntes
Castellæ mirata fremit, lusiq́ue iuuentus.
Omnibus in morem tonsâ coma pressa coronâ,
Cornua bina ferunt, præfixa hastilia ferro.
Pars leues humero pharetras. It pectore summo
Flexilis obtorti, per collum, circulus auri.

Quæ

Quæ conuiuia, quales epulæ? Basilicæ, lautissimæ, ex Mart. lib. 8. Epig. 5. transfero.

Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi,
Quantaq; nox superis omnibus illa fuit;
Quâ bonus accubuit genitor cum plebe Deorum,
Et licuit Faunis poscere vina Iouem.
Vescitur omnis eques tecum, populusq; patresque;
Et capit ambrosias cum Duce turba dapes.

En lætitiam, en delicias? Hæc ne pro pœnâ appo nis? equidem in pœnæ partem. Vt mæror augeretur ex ruinâ, publicæ hilaritates latus constantiæ infirmarunt. Huc adde ad rem aptissimè.

Tolluntur in altum
Vt lapsu grauiore ruant.

Pauci interiecti menses, & mutata fortuna, in clamores, & lamentatiunculas deiectas, totã vertit Lusitaniã, erepto voluptatum pignore Alfonso Principe, miserrimo ex equo casu, dũ in Tagi margine, parente interim in flumine, leuandi æstus caussâ, natante, cum proceribus cursitat. Quis ictus, quale vulnus regi infigitur? Vix mens assequitur; rudis Demosthenis lingua, Liuij penna teres, vt explicet. Sed fato adscribito hanc ærumnam, non Ioannis, in Ducis

punitione, sceleri. Vetat religio, & prudentia: Religio non vana, aut ficta, orthodoxis, & veris numinis veri cultoribus, etsi impij fidei desertores, imò, & numinis æterni derisores fabellas hasce anniles appellare audent. Apud me sunt litteræ publicis munitæ sigillis, ab autographis, quæ in Eborensi. D. Francisci cœnobio seruantur, excerptæ, quibus panditur illius cœtus sodalem, virum probum, & arcanorum cælitum participem, quem fama, eo æuo parenti Francisco parem est mirata, splendore illo, quo mortalium mentes, à labe omninò expiatæ, Dei lumine refulgent, perfusum, dum pro Alfonsi nuptijs, regij ludi edebantur, prædixisse fore vt breui hilaritatem illam maximam maiori luctu sepeliret superorum moderatoris prouidentia, in supplicium sæuitiæ Regis Ioannis, pro Duce Fernando iugulato, decretum.

Instas tamen indecorum viris prudentiâ singulari præditis, aut eruditione claris, in hæc testimonia animum inclinare; experientiâ præsertim ipsâ, optimâ rerum mortalium magistrâ sæpissimè nebulas, & nugas, in huiusmodi præsagijs explicante. Fateor plures cacodæmonis illaqueatos nexibus, in ficta sanctimoniæ argumenta, non semel, atque iterum declinasse. Patet

verò

verò rem attentius expendenti, maximum esse discrimen, inter ea præsagia, quæ à diuino numine, viris pijs, integris, orthodoxis, in commodum huius nostræ catholicæ curiæ innotescunt, atque ea quæ calliditate, & dolo tenebrosi hostis, in vulgus disipantur, dissono fundamento, ex itu dubio. Hæc discernere, ad sapientiores, & eruditiores attinet. Id in caussà, vt plenis velis, in Tarasiæ sacramenta è supernâ curiâ communicata, confirmanda, & probanda currerent, præter prudentiores illius ætatis antistites, quicunque sapientiâ eminebant, & faculæ veluti micantes doctrinæ radios in orbis litterarij theatro, orbi vniuerso funditabant. Inter hos potissimi Magister Dominicus Bagnius, emeritus in primariâ Theologiæ, apud Salmanticenses cathedrâ; Magister Bartholamæus Medina, Primarius, eo lustro, Salmanticensis, pro Theologiâ, Doctor; Magister Ludouicus Leo Augustini sodalitij splendor, & ornamentum, in quo, si vnquam in vno viro, omnes prudentiæ numeri, & scientiæ opes eluxêre. Quid verò in his arcanis, tot doctissimorum suffragio comprobatis, illi præsagiò præeminet?

Si redeant veteres, ingentia nomina Patres,
Elysium liceat si vacuare nemus.

Eodem calculo, trutinatum per otium Francisci Sodalis oraculum, quo Tarasiæ mystica verba firma, rataque, haberetur. Audent obsistere, & dolum an fraudem inserere sycophantæ, nebulones, merè barbari, quorum opuscula manibus teri, miserrimam omnium, quas hoc seculo experimur, calamitatum existimo.

Do tamen manus; ex theoricæ, atque etiam mysticæ Theologiæ mystarum sententiâ, adducor, vt palàm clamitem nil ad rem reuelatiunculas probis viris, aut fœminis factas conducere, si sacræ paginæ testimonio minimè nitantur, vel etiam cum id, de quo per easdem docemur, è diuini sermonis scaturigine haurire possimus. Deest ne fulcimentum in sacro codice, quo in lucem fiat, Ioannem nato, ob sæuitiam in Ducem Fernandum impensam, priuari? *Et habemus*, liceat cum Petro 2. Epist. 1. præfari, *firmiorem propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes, quasi lucernæ lucenti, in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris.* Cedo testimonium. Imò testimonia lubens afferam. Rimare, si vacat, integrum Psalmũ 36. aut si pigritia vetat, sententiam à vers. 35. vsq; ad vers. 38. *Vidi impium super exaltatum, & eleuatum; sicut cedros libani. Et transiui, & ecce*

non erat; & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius. Custodi innocentiam, & vide æquitatem; quoniam sunt reliquiæ homini pacifico. Iniusti autem disperibunt simul; reliquiæ impiorum peribunt. Quid commento opus? nonne crystallo perlucidior sensus est? Propter scelera nefaria, atrocioresq; impietatis ausus, exhaustâ, & raptâ prole, maximâ in spe, & gloriâ sitâ, criminibus infectos puniri psaltes regius præcinit. Eos tamē integritatis, & sanctimoniæ testimonio, áb æterno numine cōdecorari addit, qui adauctâ, & cōseruatâ prole, quales ipsi vixerint, in progenie honestissimâ palàm faciunt. Ioānes in Libano cedrinæ materiei feraci, in spē totius Hispaniæ, ex aceptâ in nati connubiū; Principe Isabellâ erectus, cōstituitur. Hac hilaritate perfusus, extollitur, euehitur, vertice pulsat sydera, fortunæ celeri rotæ clauum trabalē imposuisse sibi ipse suadet. Somnia hæcce omnia. *Transiui, & ecce non erat.* Quid in caussâ vt citò marcescant amæna ista Libani vireta? Duplex malum, alterum criminis præteritum. *Vidi impium.* Alterum supplicij futurum. *Reliquiæ impiorum peribunt.* Majestas illius, qui virum optimū, odio simul, & timore percitus obtruncauerat; dicto citius cadit, cadēte filio, pro parentis scelere, Rex interit paullòpost, nullo scripto he-

rede, qui parentem ab obliuione vindicaret; licet enim Georgius nothus amplissimæ Auerij Ducum familiæ auctor sit, id totum Emmanuelis beneficio adscribendum; à patre enim, quid nisi commendatitias, ad futurum regem legationes obtinuit? Fernando repullulant filij legitimi, sicut nouellæ oliuarum, in Brigantinæ familiæ splendorem, qui patriam fidem illibatam, & integritatem, suâ fide, & integritate testarentur, atque æternitati commendarent. *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.* Et quæ reliquiæ, quæ soboles? optimi, probissimi, honestissimi, bello, & paci vtilissimi principes. Iacobum certè, qui patri successit, nec duos post Iacobum Brigantiæ Duces, Theodosium Primum, & Ioannem noui, Sed noui & veneror Theodosium Secundum, cui immortalitatem, si fas est, à supremo illo numine precor, in ærumnarum, quibus vndique premimur, leuamen. Quale ille decus Reip. quantum patriæ ornamentum? sago inclytus in pueritiâ, per cæteros ætatis gradus togâ inclytus.

——— *Cui pudor, & iustitiæ soror*
Incorrupta fides, nudaque veritas,
Quando vllum inuenient parem?

Percurre castimoniæ exempla, ab aureo illo æuo petita, *Quando vllum inuenient parem?* Iustitiæ laureâ,

laureâ, perenni famæ sacros trutina, *Quando vllum inuenient parem?* Recense veri assertores, & defensores, *Quando vllum inuenient parem?* Audebo tamen, si non parem, quodammodo similem Vticensem Catonem Theodosio comitem dare. Romani mores, ex Lucano. 2. Pharsaliæ, & Theodosij plura in humanum genus impendentis mores, inde coniecturâ assequere.

——— ——— *Hæc duri immota Catonis*
Secta fuit. seruare modum, finemque tenere;
Naturamque sequi, patriæque impendere vitam;
Nec sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Huic epulæ vicisse famem, magnique penates
Submouisse hyemem tecto, pretiosaque vestis
Hirtam, membra super, Romano more, Quiritis
Induxisse togam; Venerisque huic maximus vsus
Progenies. Vrbi pater est, vrbique maritus,
Iustitiæ cultor, rigidi seruator honesti.
In commune bonus, nullosque Catonis in actus
Subrepsit, partemque tulit sibi nata voluptas.

Quærant alij alia Fernandi Ducis integritatis argumenta; mihi fructus optimus optimam suadet arborem, & persuadet ex simili argumento Mart. lib. 8. Epig. 3.

Scire piget, post tale decus, quid fecerit antè,
Quam vidi, satis est, hanc mihi nosse manũ.

An auidis adhuc auribus auscultas dicentem. *Quoniam sunt reliquiæ homini pacifico*. Fulcitur matura Theodosij ætas triplici flosculo, si aspexeris, delicias humani generis, contentâ voce appellabis. Parum dixi. Cęlestiũ, quos rudis ætas coluit, prolẽ intueberis. Micat in Barcellensi Duce adamantinus Martis vigor; in Eduardo splendet aurea Apollinis venustas; fulget in Alexandro perspicax Mercurij ingenium. O pulcherrimam Lusitaniæ faculam, ò maximum orbis ornamẽtũ, viue diu, diu fruere hac fortunatissimâ prole.

Serus in cælum redeas, diuque
Lætus intersis populo precanti,
Ne vè te nostris vitijs iniquum
Ocyor aura
Tollat.

Plura è sacrâ paginâ testimonia spopondi, togas componite, soluam. Sed, ne molestus sim, prætereo Hebræi Regis cantilenam 108. quam de Iudâ Christum prodente Primus orthodoxæ religionis, pro Christo Pont. Petrus est commentatus. Quam facilè, & consonum eandẽ de Ioanne Fernandum damnante interpretari? Vnũ expendam versiculum, qui Psal. 54. claudit. *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Vir sanguinum Ioãnes, qui tot proceres capite damnauit,

nauit, quosdam manu percussit. Et dolosus, qui Ducem Fernandum ad se, per speciem officij Alfonso filio præstandi, fictâ oratione pertraxit. Quid coniicitur ex istis argumentis? Oportet filio charissimo spoliari. *Nō dimidiabunt dies suos.* Amoris vi in duas partes hominē diuidi fatentur omnes sapientes. Id theologiæ doctorū immortale decus Thomā Aquinatem, in eam perduxit sententiā, vt 2.2.q.74.art.2.in corpore asfereret, honoris quoq; nocumento, præhabendam amicitiæ iacturam. En concepta verba. *Et ideo susurratio est maius peccatum, quam detractio, & etiam quam contumelia, quia amicus est melior, quam honor, & amari, quā honorari.* Igitur ille integrâ vitâ frui existimatur, qui cū amico viuit, dimidiâ priuari, qui amico emortuo superstes in lacrymas relinquitur, & mærorē. Nil dulcius, & iucūdius Ioāni Regi, Alfōso Principe, à quo amoris, & amicitiæ fauos, imò nectar, ad satitatē sēper, nunquā ad tædiū hauriebat, si fides tot historiographis. Iacet exanimis Alfōsus, superuiuit Ioānes, vitę dies dimidiat, morteq; in charo pignore præuētus, in vitâ durat, ad doloris, & mæstitię experimētum, quo torqueri cadentes, naturę potestati negatur; patet eo cōteri, qui suorū funera, eò duriora, quò chariores, & acerbiori casu rapti, intueri cogūtur.

Non

Non hæc vita augusta, sed lata mors. Vtar verbis Augustini, ex tract. in Ioannem, etsi in alium sensum, àb illo prolatis. *Non diu viuere permissus est, sed tradè mori compulsus*, quo pœna acrior totum hominis sensum peruaderet, torqueret, opprimeret.

Et prudentia in id capit. Ea enim ex sentent. Horatij, 2. Epist. 1.

———— ———— *Orientia tempora notis Instruit exemplis.*

Nullum verò inter veteres illos imperatores, cui aptius nostrum Ioannem conferam, Tiberio reperio. Quid ille? Germanici, fratris filij necem, Pisonis operâ, non alio argumēto, quam optimi viri sibi propinqui virtutum insitarum à naturâ, & rerum pro Rep. feliciter gestarum inuidiâ ductus; atque etiam formidine tactus, nè tandem Romani, Germanici splendorem, & ingenuitatem, sui ipsius caliginosis sordibus, & moribus præuersis anteponerent, est molitus. Constat, ex 2. & 3. Annalium Taciti. Palàm res ostenditur, num. 3. lib. 3. *Audire memini ex senioribus, visum sæpius, inter manus Pisonis libellum, quem ipse non vulgauerat; sed amicos eius dictauisse, litteras Tiberij, & mandata in Germanicum continere; ac destinatum promere ad Patres; Principemque arguere,*

guere, ni elusus a Seiano, per vana promissa foret. Nec illum sponte extinctum, verum immisso percussore. Ioannes Ducem Fernandum, vxoris suæ sorori matrimonio iunctum; eiusdem Ioannis Primi, quo ipse ferebatur pronepos, pronepotem; virum maximè fortem; pro patriâ tuendâ, & augendâ solicitum; consilio, & prudentiâ eximium; præstantissimum ornamentis animi, & corporis dotibus; ortâ inuidiâ hisce ex splēdoribus; metu etiam percussus, ne Lusitani proceres aliquando plebeium sui animum, & labeculas, turpissimas contemnentes, Brigantinum principem dicerent, indictâ caussâ, palàm in foro obtruncat. Cæleste numē, vtrumque ex interemptis, prole multâ bearat; tribus maribus Germanicum, Nerone, Druso, Cajo; Fernandum Philippo, Iacobo, Dionysio. Principem vtrumque vno filio. In Druso iuuene læta Tiberij senectus; tranquilla Ioannis iuuentus; in Alfonso adolescente. Orbatos optimis parentibus tot ephebos, Reges in luctu, & mœrore constituerant. Orbos optimis filijs, Tiberium, & Ioannem, numen æternum facit. Drusum venenum infectum amisit Tiberius; Ioannes Alfonsum equo excussum amisit. Vnum in vtriusque Imperatoris prole perdendâ mirum. Similis parentum sceleri; in natis

natis pœna. Tiberius lento veneno Germanicũ necat; filius Drusus, lento veneno, post annos quinq; à Seiano dato perit. Ioãnes effræni sęuitiâ præceps Fernandum publico in theatro iugulari decernit; Alfonsus filius effrænis equi dorso excussus, in ore parentis, palàm non multos post menses exanimatur. Tiberium fateris in Germanicici nece sceleratum; eâque de caussâ p . . . tum. Ioannem fatêre, in Ducis nece sceleratum, nec aliâ de caussâ pœnas dantem.

Ambigendi caussam scrupulum remoueri forsitan desideras. Tiberius, ais, amisso Druso, amens penè, & doloris vi, in insaniam versus redditur; nec citò pro iacturâ tantâ, obliuio successit. Coniecturam facio, inquis, ex Tacito, & Suet. Tacitus, 4. Annal. num. 1. *Venenum Druso datum, per lygdum spadonem, vt . . cto pôst annos cognitum est.* In tantum cura illa luctuosa protendi valuit. Suet. in crimine vindicando, post eam temporis intercapedinem, recenti veluti dolore irritatum describit, in Tiber. numër. 62. *Auxit intendítque sæuitiam, exacerbatus indicio de morte filij Drusi, quem cum morbo, & intemperantiâ perijsse existimaret, vt tandem veneno interemptum, fraude Liuillæ vxoris, atque Seiani cognouit, neque tormentis, neque supplicio*

plicio cuiusquam pepercit; soli huic cognitioni, adeò per totos dies deditus, & intentus, vt Rhodiensem hospitem, quem familiaribus litteris Romam euocarat, aduenisse sibi nuntiatum, torqueri sine morâ iusserit, quasi aliquis ex necessarijs quæstioni adesset; deinde errore detecto, & occidi, ne diuulgaret iniuriam. Contrà Ioannes, Alfonsi morte, nec turbari quidem visus, quin solatium, mærentibus grauiùs adhibuit: *Gaudere se de filij casu, parum enim idoneum, ob mollitiem, & culturam, ad Lusitanorum moderamen.* Testimonia agnosco, attamen herbam minimè porrigo. Scio Tiberium, maximè de filio interempto doluisse; maximè quoque doluisse Ioannem. Vtrumq; tamen frontem, & verba, ad simulandam constantiã, ex industriâ cõposuisse. Quod in Ioanne miraris, proceribus in luctu durantibus, post multos dies, solatij argumẽta cõmunicasse; eodem, quo Drusus excelsit, die Tiberius fecit. Tacit. 4. Annal. num. 2. *Cæterum Tiberius, per omnes valetudinis eius dies, nullo metu, an vt firmitudinẽ animi ostẽtaret, etiã defuncto, nec dum sepulto, curiam ingressus est, consulesque sede vulgari, per speciem mæstitiæ sedentes, honoris, locique admonuit; & effusum in lacrymas senatum, victo gemitu, simul oratione continuâ erexit.*

Non

Non quidem sibi ignarum, posse argui, quod tam recenti dolore, subierit oculos senatus; vix propinquorum alloquia tolerari, vix diem aspici, à plerisque lugentium; neque illos imbecillitatis damnandos; se tamen fortiora solatia, è complexu Reip. petiuisse.

Addo acrius pendendum supplicium, pro Regis Ioannis culpâ, si in eos mores molles, & effœminatos, quos pater commemorat, declinauit Alfonsus. Ab arcanis vtriusque philosophiæ petita ratio suadet. Feroces nimium, & elatos, atque tumentes, in hominum insontium fundendo cruore, hisce superi maculis, in prole, infici permittunt, vt maximâ contumeliâ in suos grassante, resipiscant, aut saltem se despiciant. Pæantis id est Apollinis medici industriâ, sagittæ veneno lernæo delibutæ, à Philotectæ eiusdem Dei filio, in Trojam aduectæ, quibus Paris est sauciatus. Venus Apollinem sæpè alias sibi infestum, & tum præcipuè, Paride sibi charissimo vulnerato; emissâ in prolem mollitie, durè nimis multauit. Mart. lib. 2. Ep. 84.

Mollis erat, facilisque viris Pæantius heros;
Vulnera sic Paridis dicitur vlta Venus.

Curam concinnitatis, & elegantioris culturæ, in Alfonso, solatium parenti minimè inculcabo; suppli-

supplicium dicam, ipsâmet nece atrocius, quo æternum numen, Ducis cruorem á parente Ioanne effusum vlciscitur.

Mox Eumenidum turba, specubus terræ arcanis soluta, atris serpentibus, & fumantibus vndique facibus accincta, in Ioannem ruit, obortâ ob nothum Georgium, cum vxore, discordiâ; cunctis proceribus, & maximè propinquis, immanitatem hominis formidantibus, ipso Georgio, etsi adhuc tenerrimo, patrem, cuius artibus, à reginæ complexu arcebatur, fastidiente. Huc illud Horatianum apta. 1. serm. 1.

Non vxor saluum te vult, non filius, omnes
Vicini oderunt, noti, pueri atque puellæ.

Hisce Ioannes irretitus ærumnis, in alias cottidiè prolabebatur; nam & â lecto se excitari, & cum mortuis colloquia miscere fatebatur. Historiæ propalant, nullus est qui inficietur. En Neronis infelicitatem, post matrem occisam, quanuis à palpatoribus, vt Ioanni, pro Ducis ruinâ, grates agerentur. Suet. in Neron. num. 34. *Neque tamen sceleris conscientiam, quamquam & militum, & senatus, populique gratulationibus confirmaretur, aut statim, aut vnquam postea ferre potuit. Sæpè confessus se exagitari maternâ specie, verberibus Furiarum, ac tedis ardentibus.* In hunc locum

cum transcribe aptiùs ex Iuuenale. Saty. 3. scelerati homuncionis, arcano in pectore, sæuos diurnis curis, & pauoribus nocturnis cruciatus.

Perpetua anxietas, nec mensæ tempore cessat;
Faucibus, vt morbo, siccis, interq; molares
Difficili crescente cibo. Sed vina misellus
Expuit; Albani veteris pretiosa senectus
Displicet. Ostendas melius; densissima ruga
Cogitur in frontem, velut acri ducta falerno.
Nocte breuem si forte indulsit cura soporem,
Et toto versata toro iam membra quiescunt,
Continuò templum, & violati numinis aras,
Et quod præcipuis mentem sudoribus vrget,
Inclyte Dux Fernande,
Te videt in somnis, tua sacra, & maior imago
Humanâ, turbat pauidum, cogitque fateri.

Nec ijs septum calamitatibus Ioannem, luce diutius frui dignum homines putarunt; nec alium sæuo, immaniq; imperatori carnificem, eodemmet aptiorem sunt arbitrati. Atq; ita re satis pensâ, amici familiaresque arcanorum participes, venenum propinant, quod suâ manu exhaustum, paullòpost molestissimum, tandem lethiferum est expertus; vitæque in exitu constitutus, & mœrore, ob venenum àb amicis datum, & angore, ob regni moderamen, ijsdem, quos Brigantini

Ducis familię obstrictiores nouerat, commissum pressus, infelicissimam eorum, qui in conspectu aduersariorum exultantium, & insultantium, animam exhalant, sortem habuit. Cætera Germanico emorienti dura sanè, sed viro generoso digna sunt visa; id vnum ingratum, & acerbissimum, ex Tacit. Annal. 2. num. 11. *Si limen obsideretur, si effundendus spiritus, sub oculis inimicorum foret.* Nil tantum in Romano Duce fortuna permisit. Ioannes inter procerum, quibus infensum se semper exhibuerat, manus iactatur moribundus, vxore superstite; cuius fratrem, & leuirum trucidarat; regni moderamine, Brigantini filiorum exulum auunculo, Reginæ Eleonoræ fratri Emmanueli, commisso. En in quas angustias spiritus ille tumidus, & elatus, tantâ rerum inconstantiæ obortâ caligine, cogitur! An latuisse Ioannem credendum, quod vel buccones præsagirent, fore vt, eo vitâ functo, Ducis Fernandi soboles, pro quâ extinguendâ ita insudauerat, ad pristinum decus, & splendorem confestim rediret? Ita sanè euenit. Et vt fraudis cuiuslibet suspicio deleretur, Emmanuel rebus sacris ritè procuratis, veluti ad id, æterno numine propellente, & regiæ, quam sustinebat, dignitatis officio deposcente,

eos, quos Ioannes dum ludis inhiat, & inanibus delicijs, in exilium ire permiserat, opibus, & familiæ ornamentis nudatos, in patriam, maiorum ornamenta, opes veteres reuocauit. Osorium, lib. 1. De rebus àb Emmanuele gestis, auscultate. *Anno insequenti, qui fuit à Christo nato, 1496. cum appropinquaret tempus solemni ieiunio consecratum, Setuualem se contulit. Ibi eum sorores illius, nempè Eleonora Ioannis vxor, & Isabella, quæ matrimonium Ducis Fernandi tenuerat, opperiebantur. Rebus autem sacris, illo tempore de more procuratis, & diei illius memoriam, quo Christus se à mortuis excitauit, ritè celebratâ, ad regni negotia conficienda se rursus accinxit. In primis tamen Iacobum Fernandi filium, qui post illatam patri necem, se in exilium, sponte suâ contulerat, & fratrem illius Dionysium; similiter, & Aluarum eiusdem Fernandi fratrem, & Sancium Iacobi fratrem patruelem, Alfonsi Faronensis Dynastæ filiũ, in patriam; & honores amissos restituit.* Hac curâ mentem infestante, veneni cruciatu corpus dirè torquente, Rex ille inclytus Ioannes, *ob immortale*, vt cum Iuuenale loquar, *odium, & nunquam sanabile vulnus*, in Brigantinos, ad eam quæ vltima linea rerum est, mortem scilicet, peruenit; vbi fato vindicante, quæ antea

tea, mente indicante, simultas poni debuerat, tandem resedit.

CAPVT XXXXV.

Lusitania pro regis sæuitiâ, pœnas luit.

IAM ad metam puluis vergit.

Quicqnid delirant reges, plectuntur Achiui,

In Lusitaniam totam grassatur, ex fonte infecto lues atra, quâ gens percussa, ab illo splendore veteri penitus decidit. Quæ lues, quæ corruptella, & infectio è Iudæorum turba, sordibus omnibus conspurcata; cui viam in Lusitaniam strauit, Ducis Fernandi auctoritate, quæ sola posset impedire, deficiente, Ioannis tumor. Vt res pateat, tantæ calamitatis exordium altius repetendum censui. Perfidia sordidissimæ huius gentis omnibus nota. Sed quid mirum, in homines nè fidem, hominis Dei, inter se nati desertores seruabunt! Artibus, an dolis pecuniarijs, & fœnatorijs, dum ignoti, principibus gratissimi esse solent. Paullatim fraudes, & sordes emergunt, quibus maius in se odium concitant. Castellæ

Reges Fernandus, & Isabella vtrumque experti, Iudæorum, inquam, industriam, & perfidiam; sed illi hæc præponderauit. Re prudentissimè pensâ, decretum Granatæ, Kalendis Martij, anni 1493. regio diplomate, ac mox in Castellâ promulgatum: *Iudæi omnes, intra quatuor mensium spatium, Castellæ finibus discederent; in eos capitali supplicio, & bonorum omnium iacturâ, qui contra agerent, aut aliquos Iudæorum occulerent, præfixis.* Paullòpost à censoribus fidei lex est lata, quâ Iudæis illo spatio elapso, consortium, & amicitiæ indicia præstantes, cibos vendentes, aut alio quouis prætextu, perfidos illos drapesitas fouentes, internis pœnis grauioris notæ ligabant. Additum, in regio diplomate, Iudæis licere, vel nauibus, in locis maritimis, vel vehiculis, in alijs regni finibus, opes suas inde transportare; dummodò nil auri, argenti, aliorumuè mercimoniorum, quæ in vetitis censebantur; ferrent; facultate easdem, cæteris venalibus, aut nummarijs tesseris transferendi datâ. Iudæi, tanto ictu exanimes, quâ solent, in rebus desperatis, industriâ, sibi consulendum rati, ad Regem Lusitanum Ioannem supplices accedunt, & grandi auri pondere oblato, in Portugalliâ morandi, quate-

quatenus negotijs componēdis vacarent, & opportunè in alias orbis regiones, transmigrandi occasio sese offerret, licentiam precantur. Auri pulchritudo, pro exulibus curam suscipiendam facilé suasit. Ioanni enim visum, ad religionem attinere, in Mauritaniæ oppidorum debellationem, hasce opes oblatas, quasi argenti vrnā Herculé amico, non respuere. Res in senatu, proceribus omnibus, & sacris antistibus ascitis, discutitur. Diuersæ sunt dictæ sententiæ; nec mei est est opusculi eas referre. Braccarensis tamen orationē, quā etiam scriptam Ioanni tradidit, silētio inuoluere piaculum existimarem. ☞ Hominū *exorsus est*, solicitudines commodo, ex insitâ naturâ inseruiunt. Verùm regum curæ multum à vulgi cupiditatibus differunt; eorum enim interest, famæ, & nominis æternitati, in omnibus vitæ actionibus, studere. Miror sanè, Rex potentissimè, ijs, quibus hęcce principum conditio est perspecta, in mentem venisse, in senatu Lusitano ventilandum, deceat nè Ioannem Regem, patrocinium, atque hospitium præstare sordidissimæ huic genti, cuius scelera Dei cultui, & sacrosanctæ religionis integritati, cuius splendor, prima, atq; etiam extrema Reip. norma debet esse, maximè obsistunt, Castellæ Reges, nomen sibi

immortale, decreto perfidæ huius turbæ exilio, comparant. Qui exules, ad se diuertere patiuntur, æternam quoque notam, sibi inurant, est necessarium. Tanti supplicij decretum à sæuitiâ, pertinaci eiusdem gentis perfidiâ, cui euertendæ, aut saltem minuendæ, per tot secula, impar Catholicorum Regum clementia, sese tuetur. Hinc liquet, te ad patrocinandum huic genti, non eandem, ad veram fidem, & Dei cultum reducendi animo, inclinari, eorum enim nullus, de mutandâ religione, verba facit. Igitur, è tuâ clementiâ hanc curam defluere fatearis, necesse est. Illi verò tuâ clementia indigni; reges enim crystallina veluti fidei specula præ se ferunt; regioque ex munere tenentur, quicquid fidei splẽdori repugnat, supplicio acerbissimo coercere, ac funditus euellere. Pudet Iudæorum duritiem, in tuendisque erroribus, peruicaciam expendere; nostrorum denique hominum patientiam, qui tot per annos, illorum perfidiam, æquo animo perpessi, àb Ethnicis ad propulsandum edocti, stupesco. Deorum cultores Diagoram Atheistam, de numinis prouidentiâ malè opinantem, curiâ, atque adeò ciuitate eiecerunt. Atheniensès Socratem optimis moribus virum, veterem de Deorum numero, sententiam, recenti

centi commento euertentem, capite damnarunt. Hisce legibus, qui ad optimum Reip. moderamen, in morali doctrinâ satis versati, vertunt animum; vtuntur. Nam tranquillitas publica, nullo alio vinculo, quam religionis consensu fulcitur; quî enim fieri potest, vt principi fidem, qui æternum numen deserit, illibatam vnquàm præstet. Fides animi ornamentum est, & diuinâ ex lege, dignitate primoribus exhibetur. Hinc est quòd vna religio mentibus fidem ingerit, & quicquid illi aduersatur, præcipitium Reip. minatur. Hisce argumentis perpensis, nullus vnquam, vel inter barbaras nationes, rex est repertus, qui alienigenas diuersæ religionis, ad se diuertentes amplecterentur; facilè enim humanas leges contemnunt, qui diuinis illudunt. Veteres illi Romani, sæpè decretis acerbissimis Iudæos eiecêre, impuris eorum ceremonijs infensi. Anglia, Gallia, Pannonia non semel, atque iterum Iudæos è finibus, maximâ solicitudine expulerunt. Hispania, iam sexdecim, post Gothorum aduentum, sordidissimam hanc gentem in exilium amandauit, ærumnis, quibus à Deo, dum Iudæos patiebatur, torqueri se sensit, in hasce leges promulgandas impulsa. Qui nam in orbe terrarum imperator Iudæos impunè a pud se

degere talit? Pont. Romanus communis omnium parens, àb orthodoxis viris eos seiungit. Arabes, atque ipsi etiam barbari Tangabatuti, in Guinæensi orâ, Reges, Iudæos contemnunt; suosque ciues àb eorum commercio, sæuissimis pœnis coercent. Innumera penè sunt exempla, quibus calamitates, & ærumnæ publicæ, è Iudæorum consortio emanantes patent. Vnum tamen viris probis, & diuino cultui, pro dignitate propensis, ad hoc, argumentum satis esse poterat, Patrum nempè, & Diuorum hominum auctoritas, è sacræ paginæ arcanis asserentium, in fidei orthodoxæ negotijs, incendium maximū, vel ex vnâ perfidiæ scintillâ fore pertimescendum. Decet ignis, antequam serpat, primam flammam extinguere, putrefactæ carnis frusta, priusquam totum corpus inficiatur, dissecare; ouiculam morbidam, ne scabies in gregem totum grassetur, seponere. Nec solū religionis integritati calamitates plurimæ minantur; plures ciuili regimini impendunt, si in eam tandem sententiam inclines, vt Iudæis patrocineris, ipsosq; Lusitaniæ labeculas suas, dū ad nos diuertunt, aspergere patiaris. Nam & à subditorum obsequio, gratè, & opportunè regibus præstando longè absunt, & Reip. graues admodum sunt, & molesti;

ipsam

Ipsam enim argento, & auro paullatim spoliant, in commercia, quæ cum nostris hostibus (quibus, exploratorum vice fungentes, virium nostrarum imbecillitatem, labores domesticos, & publicas calamitates, quorum notitiâ maximè exhilarescunt, per nuntios referunt) præcipuè exercent, dissipato. Denique nullus ex hac stirpe, nobis haud hostis, & suopte ingenio, & maiorum doctrinâ. Id sanè constat ex eorum pertinaciâ, in religione nostrâ sacrosanctâ respuendâ; quam nec tot Pontificum indulta; priuilegia à regibus concessa; antistitum suasoriæ orationes, procerum solicitudo, & officia; preces Diuuorum; concionatorum saluberrimæ munitiones, emollire vnquam valuêre; vt você illam prophetæ viri optimi ad Heli auscultarent, ex 1. Reg. 2. *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Quam formant Remp. à quibus regibus leges accipiunt, quæ orbis nationes Iudæos commendant? Castella expellit, excipit Lusitania? Quæ cauillorum materies huius imperij æmulis, ex hac differentiâ, paratur? Nec scelus hoc turpissimum, quam nobis auri summam proponunt, excusat; hoc enim adhuc contumeliosius, vt à nobis sordium suarum licentiam, vili lucello emant.

emant; atque in toto terrarum ambitu, nostræ gentis, tot nominibus, gloriosissimæ cupiditas, & auaritia, ipsis referentibus, carpatur, eo nomine, quod sacrosanctæ fidei hostibus acerrimis, pretio constituto, liberam apud se commorandi potestatem faciat. Exhorresco, quoties in hanc imaginem, mente incido, & multo magis adhuc torqueor, cum contemplor Castellæ post hæc licere, & de suâ ipsius gloriâ, & de nostra ignominiâ pariter, ornamenta, & decus maximum præferre. Maiores nostri Iudæorum commercium periculosum semper existimarunt. Si eos inter nos degere patimur, etsi aduersâ fortunâ iactatos, & demissis ceruicibus, vbi nam turbæ huic numerosissimæ sedem designabimus? Quæ domus integra, quæ mens pura, in eorum consortio? Plures profectò hi Iudæi alienigenæ, Lusitanis nostris censentur. Æquale numero periculum, ex eorum desperatione, nobis impendere non temerè conijcio; nam exilij iniuriâ irritati, pro vindictâ fraudes component; nostroque sanguine, quem ob Christi cultum, quo cohonestamur, non minus fundere, quam Castellanorum student, ab illis illatas iniurias vlciscentur. Errat, qui latronum cohortem, hosce homines putat; turba est numerosissima, Iberis mori-

moribus, à mille retrò annis imbuta; non aliam, quam Hispaniam, patriam noscunt; ab eâ expelli, morte ipsâ atrocius existimant. Castellæ prætorum exactiones, dum suis peculiolis, præfixas, in eorum decreto, pœnas redimere sunt conati, nil aliud Iudæis, quam animas tot ærumnis consumptas reliquêre. Quî potest fieri; vt tantâ in miseriâ constituti, dum fines nostros peruadunt, nobis vtiles sint, & commodi? Sed iam libens concedo, Lusitanis vtilissimos fore Iudæos; quanta verò ignominia, æternam infamiæ, ob nostras sordes, & auaritiam, nobis notam inurendam non effugere, dum licet honestissimè, existimabitur? Consilia tanti ponderis, cum nullo alio, nisi cum immortali apud posteros famâ relinquendâ sunt communicanda. Contemplare, Rex amplissimè, sponte tibi iniungere æternum, & apud Deũ immortalem, & apud homines dedecus, ne dicam, nobis etiam, & posteris, turpissimam libertatis iacturam. Quorum, tu malis pressus, superorum implorabis auxilium, cum deditâ operâ, perniciosissimos æterni numinis hostes, hodiernâ die, protegas, & patrocineris? Cælestes omnes mentes obtestor, in hanc dicendi licentiam, non nisi ex muneris officio, tibique obsequij præstandi cupiditate inclinasse.

naſſe. Si fidei hoſtes expugnandi affectu, in hanc ſententiam flecteris, indecorum eſt, hos perfidiâ, & ſceleribus conſpurcatiores excipere, illos, è quorum vitâ minores in ſuperos noxæ repullulant, nec tantum nobis periculi impendet, debellare. Prærerquam Deum Opt. Max. fido, æternâ ſuâ prouidentiâ, pro nominis ſui gloriâ illibatâ, rationem inuenturum, quâ numi hice, quibus ipſius ira emitur, & miſericordia venditatur, à Iudâ, pro Chriſti aſſertoris proditione, acceptis argenteis, quam ſimillimi in euentu ſint; cum enim ſcelus exiſtat æquale, nequaquam mitius erit ſupplicium.

Hæc Braccarenſis, ſerenâ fronte, pro pietate diſſeruit. Rege verò incontrariam vergente ſententiam, plures in eam deflexi. Tandem decretum: liceret Iudæis, Portugalliam, cùm familiſs ingredi, auri quā ſpoponderant, ſummâ penſâ. O amentiam, ò ſtuporem cæcutientis cœtus! Qui vos furores, quæ Eumenides, in has anguſtias detruſêre, candidi Conſiliarij? Ducis vnius Fernandi defuit auctoritas, qui Braccarenſis, pro dignitate, orationem commendaret, in eamque opinionem, regem, tantum virū, ſuſpicientem cogeret. Sed qui inde labores, & nocumenta? totius Luſitaniæ iactura, dedecus, pauperies, ruina, eſuries.

Nullum

Nullum nostris, cum Ecis commercium, cum Iudæi in Lusitaniam delati. Attamen, *non auro tectisque modus*; indies diuitiæ, & vrbes augebantur. Modo ex Iudęorum sodalitio, hirudinum instar, aurum omne exhaurientium (quibus moribus assuefacti, è longo tempore, cum Mose duce, pro hospitio ab Ægyptijs accepto, quicquid auri, gemmarum, & serici apud illos erat, secum deportarunt) & Reip. elegantiam perturbantium, in tuguria vrbes; in carbones, vt aiunt vetulæ, aurea messis versa.

Verùm dedecus potius deflendum. Vbi illa fidei integritas, morum puritas, cura sanctimoniæ? Abierunt, excessêre, terga trepidantes dederunt. Gens Lusitana, suâpte naturâ in pietatem, ritusque, & ceremonias sacras propensa Iudæorum fictionibus, & dolis circumuenta, facilè à pietate, in superstitionem; à superstitione, in perfidiam; à perfidiâ, in pertinaciam; à pertinaciâ, in fraudes, & turpissimas morum corruptellas lapsa est. Vix puerum purum; senem non segnem, ad prudentiam; virum virus irarum, & excandescentiæ, in Deum, hominesque haud vomentem inuenias, post hanc colluuiem. Pudet referre nostrum dedecus, Turcarum peruicaciam si conferas, minor; si Neapolitanorum luxum,

luxum, parum; si Asianorum nequitias, & illicebras, castos Earinum, & Diadumenum fatearis, est opus. Vndè hæc lues, & spurcities? ex Iudæorum improbitate, & impietate, qui hasce artes excogitarunt, vt olim Seianus in Lygdum, ingenuitatem alliciendi caussâ, in ipsâ adolescentiâ, quò tutiores, iisdem, ad Reip. moderamen euectis, degerent. Mox diuitiarum hamo clarissimarum fœminarum nuptias sunt venati; eâque permixtione, totum penè Reip. fulcrum, patriciorum genus infecére. Iam apud exteras nationes Lusitanus Lusitani nomen amisit, Iudæi asciuit. Nec culpo, qui in hunc errorem inclinant; cum enim cottidiè, plurimi Iudæorum, è Lusitaniâ in Castellam, Galliam, Italiam, Germaniam diuertant, & Lusitanos sese dictitent, teterrimo superstitionum, quibus passim, & palàm (oculatus testis, vix sine lacrymis, hæc scriptito) in se, atque etiam in cunctos Lusitanos, è quorum stirpe seferunt, omnium inuidiam, odium, querelas, suspiciones excitant.

Sed sunt, inquis, alij probi, & veri numinis veri cultores. Absit, nullus ab hac stirpe Christum colit, etiam si, quod periculosius, in Lusitaniâ degentes, se orthodoxos, sacrosanctæ fidei lauacro sumpto, simulent. Nullus ferè, qui legis

veteris

veteris expiationem, deposito virilitatis labeolo, non obstruet; cuius caussâ, multi sæpè in degenerum nuptias renuunt, ne recutitos fieri, labore, & dolore sit opus. Nullus, qui orthodoxo viro insidias, & necem, vel fontibus infectis, vel pharmacis, quo animo plures (constat ex libellis à fidei censoribus, pro Iudæorum moribus inuestigandis, confectis) medicæ peritiæ incumbant, non machinetur. Nullus, qui Christi redemptoris effigiem non illudat; nullus, qui à præpostera libidine abstineat; nullus qui religionis nostræ arcana non irrideat; nullus qui cacodæmonas sibi probitate non exuperet, & præ vnius nummi lucello, cælum ipsum, & numina non contemnat. Iuuenalis hisce mores concinnè descripsit; eorumque caussam vnicam stirpem ipsam signauit. Saty. 14.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil præter nubes, & cæli numen adorant,
Nec distare putant, humanâ carne suillam,
Quâ pater abstinuit; mox & præputia ponunt:
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicũ ediscunt, & seruant, ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunq; volumine Moses:
Non monstrare vias, eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem, solos deducere verpos.

Sed pater in caussâ est, cui septima quæque fuit lux
Ignaua, & partem vitæ non attigit vllam.
Sponte tamen iuuenes imitantur cætera, solam
Inuiti quoq; auaritiam exercere iubentur.

Heu nefas!

Quicquid delirant reges, plectuntur Achiui.

Lusitani plectuntur, hac clade, ob Ioannis in Brigantinum sçuitiam; & adhuc in posterum dirius plectentur, nisi æternum numen, hac colluuione, cælesti igne ab sumptâ, tot ærumnis aliquando medeatur.

CAPVT XXXXVI.

Nonnullis, pro Ioannis dignitate tuendâ, obietiunculis respondetur.

SVNT tamen plurimi, in Ioannis memoria adeò propensi, vt bile, aut risu hæc excipiant, & insanos appellitent, qui fidem adhibent, multa contrà obijciant. Operæ precium erit, eorum argumētis occurrere. Ioannes, aiunt, optimo consilio Iudæos ad se diuertentes amplecti-

plectitur, exhausto nempè in bellum Africanum ærario, quod hac summâ auri, ab illis homuntionibus pēsa, supplere decreuit. Quid tu in pœnâ, consilium vocas? Fatemur multa inde Lusitaniæ nocumenta. Sed hæc est conditio viuendi, cuncta in peius ruere, ac retrò sublapsa referri. Sophos, bellè, papæ! optimè Ioannem tueris. Exhausto ærario, in quas expensas? in ludos, & ludicra; post cumulare scelere, quod scelestè euacuauerat, studet. Id tamen optimum consilium appellitas? Appellita, sed & Neronem, eodem vsum fatere optimum, cum in ludicris, si quid veterum imperatorum opum superfuerat, simili spe incitatus, consumpsit; inde ad rapinas, simili ex euentu, conuersus. Testis adsit Suet. in Neron. num 31. *Ad hunc impendiorum furorem, super fiduciam imperij, etiam spe quâdam repentinâ immensarum, & reconditarum opum impulsus est, ex indicio equitis Romani, pro comperto pollicentis thesauros antiquissimæ gazæ, quos Dido Regina fugiens Tyro, secum extulisset, esse in Africâ, vastissimis specubus absconditos, ac posse erui, paruâ molientium operâ.* Quid montes hi aurei peperêre? ridiculum murem, & Neroni, & Ioanni, in sordidas exactiones impetum. Infrà, num. 32. *Verùm vt spes fefellit, destitutus,*

 atque

atque ita iam exhaustus, & egens, vt stipendia quoq militum, & commoda veteranorum protrahere, atq differri necesse esset, calumnijs, rapinisque intendit animum. Sed iniquiores, si fides historiæ, Ioanne auspice, in misellos exules è Iudæorum familiâ, pro pecuniolis extortiones. Te & tua cura, censor tetrice, parum fidei tuæ in Deum, fidei adhibeto, si hanc Ioannis actionem defendendam suscipis.

Paucis, instas, vni, & alteri, quo te satis intricabo, vellem Alexandrinum ensem commodes. Quî audes tot sordes in eum regem iactare, cuius integritas, integro etiam defuncti corpore firmatur? Cuius fama, in omnium hominum pectore, aureis infixa litterulis, amoris, & cultus encomia ructat immortalia? Ad vtrumque diluendum paratus accedo. Fateor, per plures annos, integrum Ioannis cadauer durasse. Sed quid mirum? Innumera passim, in Gentium Annalibus, incorruptionis cadauerum, quæ ad centesimum, aut milesimum annum durarunt, quamuis nullis infecta medicamentis, nec pro Dei Opt. Max. obsequio, à quo qui ea informarant, abhorruerant, id mererentur, exempla. Et Borbonij illius, qui *dum scalam funestâ*, vt inquit Iouius, *manu, mœnibus Romanis admonet, per inguen dextri femoris,*

moris, glande traiectus cecidit, corpus Cayetæ integrum, vsque adhuc cernitur. Nostro hoc æuo, duo ferunt Mantuæ Carpetanorum, corpora illæsa, post longum à funere spatium reperta; alterum post triennium, Dynastæ, Iouis nostri Philippi Quarti decreto, iugulati ob patrata crimina; alterum, post biennium, equitis in quaslibet sordes præcipitis, ac subito incursu, vulnere, in vectatione, exanimati. Quæris caussam? Triplex. In priscis temperamentum exquisitius assigno, à corrosorio humore, & calore liberum. Mantuæ accolis eadem caussa, vel potionum, contra veneni infectionem, vsus. Id Borbonio accedisse, ob orthodoxæ censuræ, quo ligatus periit, vinculum, penè omnes qui sunt conspicati, sentiunt. Nec desunt qui testentur, eodem nexu irretitum Ioannem obijsse. Cum enim operâ, & industriâ Cardinalis Costæ, à Xisto 4. Rom. Pont. in iudicium appellaretur, negotijs distractus, nullâ seruatâ legum formulâ, eidem Cardinali Costæ re comissâ, nil posteà de eo vinculo soluendo sollicitus, ab illâ curâ animum vertit. Constat profectò Ioannem, ad obsequium rebus sacris præstandum, ignauum vel ex eo, quod, tot vndique raptis, & congestis opibus, nec argentum, quod Alfonsus pater, è templis, ad Castellani

belli sumptus corrogauerat, superstes restitui curauerit. Dura tamen meo calculo hæc sententia. Veram pandā. Ex epoto veneno ista defluxit integritas. Illius enim frigus insitum, àb iniuriâ corruptionis, imò, & combustionis corpora defendit. Diuum dicito, si hisce argumentis, vt referas in album cælitum, euinceris, Germanicum. Illius cordi, in quod totum influit venenum (nullo enim medicamine, mali inscius, spargere est nixus; multis Ioannes poculis, paullò post munitus, in totum corpus refudit) ignis pepercit, incorruptum reliquit. Suet. in Caligulam. 1. *Diutino morbo, Antiochiæ obijt, non sine veneni suspicione. Nam præter liueres, qui toto corpore erant, & spumas, quæ per os fluebant, cremati quoq; cor, inter ossa, incorruptũ repertum est; cuius ea natura existimatur, vt tinctum veneno, igne confici nequeat.* Ne apinas, tricasque historiographi dicatis. Fauet, & firmat Plinius, philosophorum de nat. princeps inter Latinos, lib. 11. cap. 37. *Certè extat oratio Vitellij, qui reum Pisonem eius sceleris coarguit, hoc vsus argumento, palàmq; testatus non potuisse ob venenum, cor Germani Cæsaris cremari.*

Ad tertiam quæstionem, velut ad metas pronus voluor. Ardor posterorum in Ioannem eximius,

mius, virum optimum, & immortali dignissimum famâ regem clamat. O blaterones, stupidi, illepidi. Virum optimum, in libidines principem propensissimum, quo exemplo, cæteris, eam peccandi licentiam cõcessit, vt necessarium esset cottidie, capite Veneri, non Marti obsequentes plectere, quos tamen ipse rex impunitos, & muneribus insuper affectos dimittebat, palàm fatemini? Nescio quid vobis cum immunditiâ, cõmercij esse suspicor? Immortali famâ regem dignissimũ nuncupatis, qui sine caussâ, in necessarios, & familiares sæuijt, cum sit Iulij Cæsaris, & Augusti vnica laus imperatoria, quâ sese, à silentij iniuriâ vindicant, æmulos, proditores, & ignotos anteà, & ignobiles, veniâ donatos, & beneficijs, ad honores euexisse; inter amicos numerasse; præstantissimos Reip. & patriæ vtilissimos, hac clementiâ præstitisse? Pudet, & piget hæc auscultare. Sed fama illa, & sui desiderium, quo extinctus, in omnium ore versabatur, vnde origiuem traxit? Mox de origine, prius quod ad laudem iactas, populares congratulationes, in vituperium retorqueo. Nil plebi non plebeium arridet. Nequissimum simul, & infelicissimum arbitror, quem vulgus acclamat. Essent pulchra cætera, & fausta in Ioanne, ob has garrientis

plebeculæ laudes, assererem malo Reip. natum. Manu ducunt Graij, & Latij Stoici. Plutarchus de Phocione (virum nostis sapientissimum, & integerrimum) in Apoth. Imper. ex Raphaelis Regij versione: *Cum oraculum Atheniensibus datum esset, vnum in vrbe esse, qui sententijs omnium aduersaretur, Athenienlesque quis nam esset, quærendum esse iuberent; Phocion se eum esse professus est. Nam soli sibi nil eorum placere, quæ vulgus & ageret, & diceret. Cum verò apud populum sententiam dicens, aliquando approbaretur, videretque omnes pariter, suæ sententiæ assentientes, ad amicos conuersus: Num quid mali, inquit, forsitan imprudens dixi?* Seneca pro Latinis. De vita beatâ, cap. 1. *Atqui nulla res, nos maioribus malis implicat, quam quòd ad rumorem componimur, optima rati ea, quæ magno assensu accepta sunt.* Paullò infra. *Versat nos, & præcipitat traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Sanabimur, si modo separemur à cætu. Nunc verò stat contra rationem defensor mali sui populus.* Esto tamen, Phocione tu sapiētior, & prudentior Seneca, pro encomio numeras à populo laudari, extolli, defendi; & caussam, an originem huius plausus quæritas. Vnde traxit originem? à vulgi inscitiâ, & regis erratis, afflante gratâ, pro hospitij beneficio, Iudæorum turbâ.

Neque

Neque enim ausim affirmare, virum vllum, ab hac labe purum, pro Ioannis famâ nimis morosum, Iudæi, etsi plurimis affecti iniurijs, à regijs magistratibus, Ioanni tamen, quod vitâ, & opibus charius habebant, intra patrios Hispaniæ fines manendi licentiam, gratis acclamationibus referre sunt conati. Scenicis, & curulibus, per totum penè imperij spatium Ioannes plebeculam exhilarauit, pessimo sanè consilio; ita enim & otio fomenta addidit, & thesauros publicos exhausit. Homunciones illo defuncto, voluptatum latum earũ memores, lacrymulis, vt solent molliusculi præ illicebris, earundem auctorem Ioannem inclamabant. Nil iucundius, & mellitius turbæ, ludis, spectaculis, venationibus. Qui hæc procurant, aut edunt, bene ominatis excipiuntur verbis, reges audiunt, imperatores, numina; etsi stoliditate, & impuritate famosi. Florani, & Florales ludos in mentem reducite. Illa turpis, turpes hice. Lactantius, lib. 1. *Colebantur ergo illi ludi, cum omni lasciuiâ, conuenientes memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam, quibus omnis obscœnitas effunditur, exuuntur etiam vestibus, populo flagitante meritrices, quæ tunc mimorum funguntur officio, & in conspectu populi, vsque ad satietatem impudicorum luminum, cum pudendis*

T 5 *moti-*

motibus detinentur. En fœmina sordidis infecta moribus, & morum præuersorum auctor, numen colitur, Dea Bona appellatur. Plutarchus, in problem. Rom. num. 19. ex versione Petri Lucensis. *Floræ, quam Bonam Deam nominant, omni florum genere templum exornantes mulieres.* Dij boni, quid monstri, quam dissonum nomen, an numen moribus? imò consonum moribus vulgi. Flora meritricula, ex prostitutionis quæstu, opes maximas parauit, fato cedens, hæredem scripsit Pop. Rom. eâ lege, vt quotanis, suus natalis dies celebraretur, editione ludorum (hæc nota, vel balbutientibus in historiâ.) qui floralia dicebantur. Placuit admodum turbæ legatum; eaque caussa satis, vt inter numina non vulgaria, sed optima, locum Flora sortiretur. Quin eò impudentia deuenit, vt ludorum exhilarationes, castimoniâ singulari prædìtam simularent, quæ non nisi ob nequitias Venereas nota. Idcircò singularis integritas, in annuis Floræ sacris edicebatur. Plutarchus, loc. proximè citat. *A multis, tum verò à rebus Venereis castæ, ac puræ sacrum illud obeunt; non solùm enim viros excludunt, sed cum solemne sacrificium faciunt, quicquid masculum est, domo exigunt.* Et simulacra. Iuuenalis. Satyr. 6.

Vbi

——— *Vbi velari pictura iubetur,*
Quæcunq; alterius sexus imitata figuram est.

Hæc spectaculorum miracula. Et oracula inuenies. Infelici aui, post patrem, & fratrem optimos imperatores, Remp. capessiuit Domitianus. Meruit tamen, vt antiquatum quodammodo, post Augustum, patriæ parentis nomen, sibi vni, ab vniuerso orbe dicaretur, spectaculis magnificentissimis; de quibus, ad mentem interpretum ingeniosiorum, totus liber Spectaculorum Mart. Huc allusit. 3. Epig.

Vox diuersa sonat, populorum est vox tamẽ vna,
Cum verus patriæ diceris esse pater.

Quod in Lusitania Ioanni, á turbâ simili, in Latio, simili imperatori Neroni obsequium reddi solitum ferunt defuncto. Superstes quam famam, inter probos, & prudentes sit meritus, accepistis, Suet. in Neron. num. 57. *Et tamen non defuerunt, qui per longum tempus, vernis, æstiuisque floribus, tumulum eius ornarent.* Quales Floræ ludos Nero ediderat, plebecula illa in memoriam reducens, fasciculos roseos, & myrteos, pro Veneris victoriâ, & vulnere, illius Deæ pronepoti dicabat. Lusitani tonsores, sartores, cerdones, textores, fullones, defioculi, lippi, cinifiones, & reliqui huius notæ cũ Iudæorum cohorte,

Ioan-

Ioannis, ad ludicra nati, æuum recolentes, dolore, præ ludorum iacturâ, tacti, illum optimum virum, regem eximium, imò & immortalem, Diuum, sacrosanctum per annos plures appellarunt,

Hæcce, non interruptâ, aut vagâ mentis agitatione, pro Ducis Fernandi Secundi, viri integerrimi, & strenuissimi memoriâ, & moribus, ab iniuriâ vindicandis, sum meditatus. Quicquid assero, verum calleo; nam piaculum duxerim, in re grauissimâ, colores, & fucos rethoricos vendítare. Si quid alijs, in hac controuersiâ placet, lubens auscultabo, paratus, & eruditioribus, & religiosioribus, si contrà senserint, obtemperare; atque ex eorum sententiâ, pro fidei orthodoxæ integritate, splendore morum, imò & elegantiæ legibus, vel partem mutare, vel totum opus, si opus, vnâ spongiâ delêre.

CAPVT XXXXVII.

Ad panegyricas pro Tēpli militibus, & Duce Fernando, acclamationes, præludium.

Peri

PEripateticorum splendori Aristoteli, longè præstantius ab iniuriâ, aut calumniâ, iacentes, & squalentes vindicare, quam honore afficere candidatos visum, & decretum. Illud peregimus, in Templariorum memoriâ, & Brigantini, quod magis arduum; hoc non ita difficile quis vetat exequi? An noua caussa, vt culpentur, ambitus deterrebit? Fateor maximum hoc crimen in stolidis, qui cum vituperatione sint digni, laudes vanè aucupantur. Boet. Met. 8. lib. 3.

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant.
Et cum falsa, graui mole, parauerint,
Tunc vera cognoscant bona.

At prudentibus hæc fortuna obuia, ob dignitatem; non ipsis ambientibus, id virtute parante; sapientes, & eruditos, ad promenda eorum encomia alliciente. Noster, lib. 4. Od. 8.

Ereptum Stygijs fluctibus Æacum
Virtus, & fauor, & lingua potentium
Vatum, diuitibus consecrat insulis.
Dignum laude virum, Musa vetat mori,
Cælo musa beat.

Nil superest, hoc nostro æuo, de Templarijs; de Fernando nil manet, nisi fama. Hanc decoremus, & in

& inauremus; imò si bis terque excussa, aurea tota micabit, & gemmea. Nec parum muneris, si id assequuti. Dijs immortalibus, atque etiam viris immortalitate donandis, nil maius, mortales superstitioni deditiores tribuêre. Aristot. lib. 4. Ethic. cap. 3. *Bonorum omnium externorum maximum ponimus id, quod & Dijs tribuimus, & quod maximè expetunt omnes ij, qui sunt in magistratu; & quod rerum gestarum quasi mercedem omnes desiderant, qualis est gloria:* Negotium fabulosum, an salebrosum, fabulosis, an salebrosis existimabitur. Concinni, periti, emuncti, elegantes faustum, & decorum dicent, manu, linguâ fauentes. His arridentibus arrideo, illos irridentes irrideo. Calleo, primo in limine, non ita planam viam. Sed ingressis, virtute, decliue potius, quàm accliue ad felicitatem iter, paullatim euanescente inuidiâ. Plutarchus, lib. *Num seni gerenda sit Resp.* ex Gyberti Longolij versione: *At ipsum adeò principium, & honoris auspicatio, tanquam in ipsis tribunalis foribus, contentionibus, certaminibusque obnoxia est; & ingressum haud facilem præbet. Gloria autem, cum quâ diu consueuêre homines, & vixêre, neque difficulter, neque ferociter, sed benignè admodum admittitur. Huius rei gratiâ, plerique fumo similem inuidiam censent.*

tenſent. Primo enim, & priuſquam incendatur, de ſe ſatis copioſe ſuſtollitur; poſteaquam verò flamma cœperit emicare, euaneſcit paullatim; neque haud facilè vſpiam conſpici ſolet. Accedo hilaris ad hanc prouinciam, hoc munitus, & tutus elogio. Cedent tandem, vel renuentes, & rugientes, flammæ, Phœbeo iubari, ſplendori eloquentiæ. Huius tanta vis, vt in Atticam dulcedinem, vel abſynthij amaritudinem vertat. Nec teſtes formido, nec repello æmulos, auditores quærito. Non fugio ſilentium, odi voces, & garritus, vel plaudentium, dum mea promo. Controuerſia non vulgaris, res maximè dubia pleriſque viſa. Auſcultate ſaltem intenti, vt iudicium feratis; liberum ſit arbitrium; nemo cogitur ſtricto gladio, aurea noſtra, & mollia arma; eos vincunt, quibus molliculæ aures, & ſenſus aurei.

CAPUT XXXXVIII.

Panegyris, pro Templi militibus.

Conſe-

COnsepulti, obliuionis caligine, viri strenui, ope, & operâ eloquentiæ, in lucem, & nominis claritatem, iam sæpè, è situ illo, & tenebris emergere visi sunt. Difficilius, ab infamiæ graueolentis faucibus, eos, quos iure, & æquo cæsos fuisse, & combustos fama constans tenet, vindicare. Constrepunt vndiquè conanti geminatæ voces, & minæ vulgi contrà sentientis, vel ipsi Herculi dicenti, terrorem, & formidinem incutientes. At sapientis est calumnias has, importunas virtutis pestes, contemnere, irridere, calcare. Cum enim hominum vita, nullâ aliâ felicitate fulciatur, nisi honestatis, pulchritudine, & decori, in rebus omnibus, ordinis suauitate, ille profectò fortunatissimus mihi existimabitur, qui vel magnarum rerum commoda, honores, dignitates, gloriam denique ipsam, ex plaudentium consensu repullulantem, veri prodentis curæ, ac laude dignos laudandi studio, honestissimo quidem, & probatissimo, Stoicorum suffragio, posthabuerit. Ad hanc segetem vocant Templi milites, quos, in meo cholobulemanactio, insontes perijsse sum testatus. Commendare Templarios, optimi adolescentes, ob dexteritatem in sagulo singularem, in togâ eximiam prudentiam, res pro exulum, & sacra Solymæ monumenta

in

inuisentium incolumitate, & salute, generosé susceptas, gestasq; feliciter, plena noto vela, alijs relinquo. Hominum constantiam, & rerum omnium humanarum, atque etiam nominis, & famæ inter posteros, præ veræ religionis cultu, contemptum exornare, si penuria ingenij passa fuerit, conabor. Felicissimi equidem viri, & fortunatissimi, quibus hæc laus maxima contigit, animi virtute, in mortis gelidæ tenebris, constantiâ, in dedecoris sempiterni aspectu; verborum, atque etiam frontis totius modestiâ, & tranquillitate, in orbis theatro ad vestrûm cædem confluentis non destitui. Immortalium fortunam calamitas hæc attingere potius, quam triumphū de barbaris, & ferocissimis nationibus reportantium splendor, & ornamentum, mihi rem attentius expendenti videtur. Miramini hanc sententiam, liberè & erectè à me proferri? An conferri, inter se, calamitosa illa, & hæc fortunatissima, cachinno excipitis? Excipite, quæso, si potiora, quæ vulgus tristia appellat, arbitramini. Animus eorum, qui vitiorum omnium sordibus inficiuntur, ad vera perspicienda caligat. Date mihi adolescentem incorruptum, & ingenio vegetum, dicet fortunatiorem sibi videri, qui omnia rerum aduersarum onera, regidâ ceruice sustollit,

tis, nondum enim incerta trangressus est, etiam nunc versatur in lubrico. Beatus verò, & virtutis exactæ, tunc se maximè amat, cum fortissimũ expertus est; & metuenda cæteris, si alicuius honesti officij pretia sunt, non tantùm fert, sed amplexatur, multòq; audire mauult: tantò melior, quã tantò felicior. Venio nunc illò, quo me vocat vestrum omnium expectatio. Ne extra naturam vagari virtus nostra videatur, & tremet sapiẽs, & dolebit, & expallescet; hi enim omnes corporis sensus sunt. Vbi ergo est, origo calamitatis? vbi illud malum verũ est? Illic scilicet si ista animum distrahunt, si ad confessionẽ seruitutis adducent, si illi pœnitentiam sui faciunt. O viri excelsi, & humanæ quodammodo sortis metas exuperãtes, Templi Hierosolymitani milites, in angustijs maximis, & calamitatibus constantes, & fortissimi! Hæc gloria singularis rationis, & prudentiæ, quæ etsi alijs pluribus cõmunis censetur, vobis peculiari quodã encomio conuenit; omniũ enim calamitatum, quas hactenus viri fortes sunt experti, vestra hæc ærumna quodammodo congeries est. Quæ strenuissimos simul, & constantiâ maximâ præditos, sæua fortuna inquirit, nõ alios vnquàm offendit tam paratos, & sibi pares. Pudet equidem numen istud sæuum, congredi cum homine

vinci parato. Ignominiam iudicat gladiator, cum inferiore componi, & scit eum sine gloriâ vinci, qui sine periculo vincitur. Contumacissimum quemque, & rectissimum fortuna aggreditur, aduersus quem, vim suam intendat. Ignem experitur in Mutio, paupertatem in Fabricio, exilium in Rutilio, tormenta in Regulo, venenum in Socrate, mortem in Catone. Magnum exemplum, nisi mala fortuna non inuenit. Infelix est Mutius, quòd dexterâ ignes hostium premit, & ipse à se exigit erroris sui pœnas? quòd regem, quem armatâ manu non potuit, exustâ fugat? Quid ergo? felicior esset, si in sinu amicæ foueret manũ? Infelix est Fabricius, quòd rus suum, quantum à Rep. vacauit, fodit? quòd bellum, tam cum Pyrrho, quam cum diuitijs gerit? quòd ad focum cœnat? Quid ergo? felicior esset, si in ventrem longinqui littoris pisces, & peregrina aucupia congereret? si conchylijs superi, atque inferi maris, pigritiam stomachi nauseantis erigeret? si ingẽti pomorũ strue cingeret primæ formæ feras, captas multâ cæde venantium? Infelix est Rutilius, quòd qui illum damnauerunt, caussam dicent omnibus seculis? quòd, æquiore animo, passus est se patriæ eripi, quam sibi exilium? quòd Sullæ dictatori solus aliquid negauit, & reuocatus non tantùm

tùm

tùm retrò cesſit,ſed longius fugit? Quid Regulo fortuna nocuit? quòd illum documentum fidei, patientiæ documentum fecit? Figunt cutem claui, & quocunque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam ſuſpenſa ſunt lumina. Quantò plus tormenti, tantò plus erit gloriæ. Vis ſcire quam non pœniteat hoc pretio æſtimaſſe virtutem? Refice tu illum, & mitte in ſenatum, eamdem ſententiam dicet. Male tractatũ Socratem iudicas, quod illam potionem publicè mixtam, non aliter, quam medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte diſputauit vſque ad ipſam? Malè cum illo actum eſt, quòd gelatus eſt ſanguis, ac paullatim frigore inducto, venarum vigor conſtitit? Quantò magis huic inuidendum eſt, quam illis, quibus gemmâ miniſtratur, quibus exoletus omnia pati doctus, ſuſpenſam auro niuem diluit? Hi quicquid biberint, vomitu remetientur triſtes, & bilem ſuam reguſtantes; at ille venenum lætus, & libens hauriet. Summam Catoni felicitatem contigiſſe, cõſenſus hominum fatebitur; quem ſibi rerum natura delegit, cum quo, metuenda collideret. Inimicitiæ potentum graues ſunt? opponatur ſimul Pompeio, Cæſari, & Craſſo. Graue eſt à deterioribus, honore anteiri? Vatinio poſtferatur. Gra-

ne est ciuilibus bellis interesse? Toto terrarum orbe, pro caussâ bonâ, tam infeliciter, quam pertinaciter militet. Graue est, sibi manus afferre? faciat. Quid per hoc consequar? vt omnes sciant non esse mala hæc, quibus ego dignum Catonem putaui. Plures alios, auditores vetustatis auidi, & asseclæ, in Romanorum, atq; Atheniensium, constantiæ, & virtutis exemplis clarissimorum Annalibus reperietis, & calamitatibus maximis pressos, & in ærumnis serenæ frontis ornamentum conseruasse. Verùm ij omnes, vel fortunæ sæuientis congressibus impares; si cum Templarijs conferantur, vel eorum gloriæ inæquales recensentur; sponte enim se in easdem calamitates coniecerunt, quod procul dubio magnam partem honestatis inficit, conturbat, suspectam reddit & vanam. Templi milites, ad supplicium vi trahuntur, infamia laborant; ne laborent, ne supplicij atrocitatem experiantur, honestatem exuant, est necesse, præstantissimo Ordini maculas plurimas, & nebulas tenebrosissimas, fictâ oratione offundant; renuunt, aspernantur vitam, famæ iacturam parui faciunt, dum veræ virtutis encomio cumulentur. Magna laus est in virtutis dumetis consenescere, vt honoris pratum tandem subeamus, citatis

pruden-

prudentiæ,& experientiæ essedis. Maior in ipsâ virtute,reiectâ etiam,atque conculcatâ spe plausus,& famæ popularis durare. Maxima denique, quod vestrùm est, optimi Templi milites, eâ, in præstantiam mentis, voluptate ferri, vt & infamia, & æternum nominis dedecus, & totius, pro rebus antè feliciter gestis, gloriæ iactura, aureà sanè, & gemmeea virtutis ornamenta, pro ipsâmet ferreâ, & adamantinâ virtute, flocci pendantur; risu, & cæteris lætitiæ argumentis excepta, in sinum penetrent, atque ibi magnâ mentis tranquillitate conquiescant. Pudicitiæ exemplum Lucretia, ne impudica haberetur, turpitudinis illicebris succubuit. Laudant tamē, atq; commendant immortalitati fœminæ huius castimoniam,quicunque, aut soluto, aut ligato stilo, in Latio floruêre. Libera vobis optio fit, inclyti equites, nequitiæ, & sordium omnium rumorem in vestrum Ordinē, sparsum consopire, delere, radere, mortem fœdissimam, combustionis dedecus, iacturam claritatis, hac vnâ conditione vitare, si contra id quod probum, atque honestum erat, insurgeretis; si vero oppresso, crimina de Templariorum Ordine turpissima euulgaretis. Tacetis omnes, obmutescitis, nullus est, qui supplicium formidet, aut flammas

effugiat, famæ etiam gloriâ contemptâ, dum in se tueatur, atque defendat virtutem, & sancti-moniam, quam eorum cuique fama pro hac constantiâ denegat. Illa pudica existimatur, quæ pudicitiâ amissâ, vanę de pudicitiâ famæ admodum cupidam, & solicitam se exhibuit. Quibus, vos exornem, encomijs, quibus extollam numeris, quo depingam pennicillo, qui vanâ veri, & honestatis famâ posthabitâ, quod superstitibus valdè arduum, & difficilè est, veram veri rationem, & internam honestatis pulchritudinem, eo acumine, quo beatæ mentes hasce diuitias solent intueri, estis conspicati, atque eo nomine, de regum truculentiâ, sæuitiâ carnificum, mortis horrore, barathro infamiæ triumphastis. Nec vestra, in pyrâ, gloria finem fecit, initium est auspicata felicissimum, phœnicis more, quo virentior, & expeditior terrarum orbem peragraret. E cinere illo sopito, in Lusitaniâ sese excitauit Ordo Christi militaris, orbis phœnix, phœnix militaris gloriæ, auctore Dionysio Rege prudentissimo, vt Asia, atque Africa Templi militum potentiam, in renascente sobole, ad Mahometicæ superstitionis ruinam, Christique assectarum ornamentum experiretur. Vtrumq; adeò perspicuè Emmanueli Regi Lusitano clarissimo patuit,

tuit, vt è Reip. commodo duxerit, vigesima vectigalium, pro mercimonijs pretiosissimis, ab Eoo tractu, Persia, atq; Arabiâ aduectis, soluendorum, in militaris Christi Ordinis commodum cederet. Ioãnes verò Tertius Lusitaniæ Rex, nequid molestiæ milites huiuscemodi cœtus, in diuersæ familiæ hominum regimine paterentur, ad illius ornamentum, & gloriam, à Pont. Max. diplomata impetrauit, quibus, ab Alcobaciensis Abbatis imperio deinceps immunes militiæ Christi equites, in Tomarensi cœnobio, quo anteà Templariorum Magistri sedes fuerat, præsulibus addicti crederentur. En iuuenes optimi, soboles clarior parentibus, vel potius parentes clari, in sobole renati clariores, Templariorum nomen ab infamiâ vindicant, immortali ornamento cohonestant, atque etiam æternitati prædicandum, in maximam gloriam asserunt. Si Aragonia, si Iberia, si Germania, quibus in Prouincijs, insontes Templarij, quemadmodum in Lusitaniâ, post diligentissimam, de eorum moribus, & viuendi ratione, è iuris formulis discussionem, sunt reperti, noua etiam virgulta, pro hac stirpe aullâ excitassent, quæ fœlicitas, & tranquillitas Christiano orbi, nostro æuo contigisset? Nullus profectò ex ijs, qui turpi aliquâ superstitione

tenentur, nostrorum vires sustinere, orthodoxorum hominum vultus intueri, aduersus congredi, victoriam in alieno solo, in suo pacem, & lætitiam cõseruare, vllâ ratione posset. His, ô milites inclyti, argumentis, hodiernâ luce, ad vestrã probitatem vnà, & fœlicitatem explanandam, vt mihi visum est, satis idoneis vsus sum; nullâ aliâ spe, aut præmio allectus, & excitatus, quam vestrum similem laudem consequendi studio. Quod verum existimabam, in solem, & diem dedi. Vtroq; e nocte obliuionis, atq; infamiæ caligine erepti, niteatis precor, quò plures, ad rerũ pro communi caussâ bene gestarum, veræ virtutis stimulis percussi, hoc exemplo, ad mentis trutinã diu penso, gloriam exardescant; vitiorumq; fœcũda segete ita extirpatâ, amœnũ integritatis viridarium, in dies vberius refloreat, odores fundat suauissimos, Superis paret fasciculos, æternum numen cunctis colendum, amandum cunctis attestetur.

CAPUT XXXXIX.

Panegyris pro Duce Fernando.

BRIGANTINÆ familiæ optimum Principem, oratorijs exornaturus flosculis, in ipso exordio palleo, formido, præceps feror. Vitium equidem fateor, in canescẽte viro, pueri-

pueriles has commotiones, si id vnū conaretur, quod pluribus felix faustusque dicendi concinnè finis existimatur, pueris placere, & declamationis numeros apprimè didicisse palàm facere. Verùm mihi longè alia est timoris caussa, videlicet, ne in tanti Principis Fernandi Secundi meritis præ dignitate recensendis, ingenij hebetudine, atque adhibendæ, in orationem conficiendam, solicitudinis penuriâ, caussam prodam, deteram laudes, inter beatas mentes virum connumerandū, vix inter præstantissimos mortalium collocē. Ex vtriusq; notitiâ, Fernandi, in quā splēdoris, & nostræ tenuitatis, hic metus oritur, & à dicēdo retardare, pleno impetu conatur. Attamen cū vos iudices intueor, gemmei adolescentes, in ipso amœnæ ætatis vere, maturos iam prudentiæ, & sapiētiæ fructus præferentes, vires recupero, experior audaciā, corporis robur animiq; alacritatē, è vestrâ humanitate abūdè haurio. Sæpè iam quasi iudicij notâ eximij niteatis, facto etiā periculo, didici. Nō voces tinnulas, aut volubilē dicentis procacitatem, vel inutiles descriptionum amœnitates trutinatis; id vnum expenditis, quod Stoici magnū docent, & sublime, rationū pondus, rerū maiestatem, hominū, de quibus sermo texitur, dignitatem, auctoritatem dicētis.

Igitur,

quidem prætereo, quæ nescio an in homine maiora, vel aliquando fuerint, vel sint in omni consequẽti posteritate temporis futura; quòd illi eiusmodi maiores imprudẽti, & nihil adhuc cogitãti contigerunt, quibus, si ex infinito hominum numero, despicienti iam singula, data esset, quos mallet, eligendi optio, nec magnitudine animi, & fortitudine, nec rebus præclarè gestis, nec in Deum Opt. Max. pietate, illustriores habuisset, quos illis anteponendos iudicaret. Nam quis, ne reges omnes Lusitanos enumerem, proauo Ioanni Primo Portugalliæ Regi, quis Alfonso auo Primo Duci Brigantino, quis parenti Fernando hoc nomine Primo, Duci Brigantiæ Secundo, in togâ, in sagulo, in religione, in probitate, non dicam anteferendus, sed nec componendus inter tot viros clarissimos, à vetustate aureâ, ad hanc vsque ferream calamitatem tẽporum, pro Reip. commodo suam egregiè operam nauantes, recurret? Superi omnes, Dux Fernande, in tuam quodammodo felicitatem conspirantes, sertis, & lauro progenitores tuos decorarunt, vt nihil in te nisi sublime, & immortalitate dignum, àb ipso ortu, & incunabulis consp iceretur. Nec huic stirpi se imparem Fernãdus ostendit, sed potius gloriam maiorum auxit, felici connubio Isabellæ

Prin-

Principis Fernandi, & Beatricis filiæ, Emmanuelis Regis, atq; Eleonoræ Reginæ, Ioannis Secūdi vxoris, forori copulatus. Nam fœminâ præstantifsimâ, ad quam hæreditario etiā iure, fiqua fors fratrē, & fororem eriperet, Ioanne Secundo vitá functo, regnū Portugalliæ spectabat, eûectus maximè, & exornatus, totius potius Lufitaniæ diademati, quam vnius Brigantiæ imperio par, & aptifsimus exiſtimabatur. Fortunā fuam Fernandus agnouit; eâque non elatè, & tumidè, vt vulgus, & buccones clamant, vfus, fed temperatè admodum, & modeſtifsimè, nullâ in re imperatorium faſtigium demittebat; & cùm fummâ exciperetur ab omnibus reuerentiâ, folo intuitu plures ipfe in turbâ, quam fecuribus, & arundinibus oſtiarij, ac fatellites, quibus feptos in publicum fe dare; Brigantinis conceſſum, viâ decedere compellebat. Quem Ducem putatis hæc claritatis ornamenta, in Mahometi aſſeclas pararunt? Menfes plures in Africâ moratus eſt Fernandus, pro dignitate, & amplitudine Lufitani nominis, maximis in difcriminibus tuendâ, atque conferuandâ. Quo fpatio vix diem integrum à prælio, aut faltem excurfione; ne dicā prælijs, & excurfionibus abſtinuit. Si confpicareris, Martem, Getis, & Maſſagetis defer-

desertis, ad inferendum bellum Afrisse contulisse affirmares. Nullus ictus, aut nisus Ducis, sine barbarorum cęde crepuit; ensis egregiâ illâ dexterâ rotatus, falx veluti in densas segetes incumbentis agricolæ, hostiū cumulos sternebat. Actū profectò esset de impurissimo illo cœtu, ni domestica, & ciuilia regni negotia Fernādū àb illâ plagâ reuocassent. Verum Africâ decedens, vt Alfonsum Regem, pro Castellæ regno solicitū, in illud bellum proficiscentem comitaretur, vel solo nomine, & rerum feliciter gestarum recenti adhuc famâ, barbaros à nostris arcibus longè arcebat, irruentes territabat, torpentes, & inertes, ad arma tractanda reddebat. Octauium Augustum ferunt hominem fortunatissimum vnà, & præstantissimū, qui vel solâ auctoritate Parthos Romani nominis cōtēptores, & irrisores, Dynastarumq; Latij imperij cruoris auidissimos, ad signa, àb vtroq; Crasso, eorumdē Parthorum robore, & in propulsandis hostibus pertinaciâ, erepta, vltrò reddenda coegerit. Attamen si historiarum veterum arcana quædam, & figurata verba expendatis, præmiorū potius, & beneuolentiæ, à Romano Imperatore extorquendæ caussa, id fecisse pharetratos illos, & fugaces equites, quàm formidinis incussæ, aut reuerentiæ in Augustum,

eorum

eorum animis,inditæ gratiâ inuenientis. Fernandi nomen, & famam, nullis allecti præmiorum commodis,nullâ beneuolentiæ spe incitati,cataphracti Africæ equites verebantur, vt hominem fortunatissimum dicatis;eius in acie robur, peritiam militarem, singularem virtutem, suo metu, & pauore fatebantur. Alfonsus Rex Lusitanus, hac Fernandi industriâ,& dexteritate perpensâ, vnius apud Taurum vrbem, iam iam cum Rege Fernando congressurus, quod sibi charius, & maximo studio, atque curâ tuendum, Ioannam sponsam, fidei & fortunæ commisit. Tunc ad hostem versus,aciem instruxit,pandit signa, milites ad præliandum accendit, nullâ iam solicitudine pro castris, quæ Fernando defendenda reliquerat,cruciatus. Cætera quælibet ardua, & difficillima effici posse arbitrabatur; Fernandum vinci vllâ ratione,aut loco trudi,nequaquam posse existimabat.Nec Alfonsum sua fefellit opinio, quanuis enim Fernandus Rex victoriâ potitus, felicissimo Hispaniarum regum imperio, eâ die initium fecerit,fusis,fugatisque Lusitanorum, & Castellanorum,qui Alfonso studebant, primoribus,Ioannem Principem, qui propius castra aspiciebat, nec strage editâ respergere, nec dimouere loco, nec quidem aggredi vnquã sustinuit,

ne

ne à tergo principis irruentem Fernandum excipere esset necessarium, asperum tactu leonem, quem cruentum, quoties prælijs inter fuit, per medias tulit ira cœdes. Victor ab hoste victore, eâ de caussâ Ioannes euasit tutus, & munitus Fernandi famâ, & nomine, quo telo, vel triumphantes, & gloriâ reportatæ victoriæ tumidissimos hostes coercuit, eiecit, superauit. Tandem Rep. inducijs dictis, constitutâ, ad pacis munia, animum totum vertit Fernandus, mente inconcussâ, singulari prudentiâ, constantiâ mirabili. Nam etsi Ioannem Regem, qui parenti defuncto successit, sanguinis propinquitate attingeret, eoque nomine, & colere semper, & amare teneretur, Reipublicæ incolumitate præpositâ, antehabitâ patriæ salute, pro maiorum Lusitaniæ regũ tuendâ majestate, hominem inhumanum, in excandescentiam pronum, elatum, rei semel propositæ tenacem increpare, ad morum integritatem, & Reip. curam, toto conatu hortari, dum vitali aurâ frui concessum, nunquam destitit. Nec arbitramini Fernandum latuisse virum acutum, & in arcanis regum consilijs maximè versatum, fore vt sibi ruinam pararet ex hac fide in regem præstitâ, nec alio ad supplicium, nisi perfidiæ crimine perducendum, singulari tamē, quâ præditus erat

 cons-

constantiâ, præstantius sibi existimauit, & fortunatius, perfidiæ pœnam, insonti, contingere, quam de vitâ, & famâ admodum solicitum, culpâ perfidiæ maculari. Plurimos eximiâ probitate, & opinione fulgentes viros, à regibus ad tyrannidem vergentibus, trucidatos olim, & bonis omnibus, per summam iniuriam spoliatos Fernandus acceperat; nullum verò eorum, à virtutis studio, eâ formidine, & horrore concutientibus destitisse, vel ipsis sycophantis erat manifestum. His principum, & virorum optimorum moribus expensis, semper in ore habuit Fernandus, illam eloquentissimi hominis Lucij Crassi vocem sapientissimam, qui censor, audiente populo Romano, dicere non dubitauit, quæ non essent in nostrâ manu posita, ijs se inferiorem esse, quam alios, non magnopere dolere; quarum potestas omnis, in nobis, sita esset, & quæ hominum studio, industriâ, labore compararentur, in ijs superari se à quoquam & vinci, nullo modo posse æquo animo pati; in illis multos habere superiores non turpe ducebat, in his, non omnibus antecellere, aut certè parem esse, summum flagitium arbitrabatur. Est né in hominum potestate, tyranni animum, ad rationis, & humanitatis normas allicere? purpurâ, & trabeâ, & fascibus, & diademate,

te, & ſceptro aureo, aut gemmeo fulgentis decreta reſcindere? imperantis, ex conſenſu Reip. effræni excandeſcentiæ priuatũ virum ſeſe opponere? Nequaquã. Quid ergo ciuis prudentiſsimi arbitrio conceſsũ? Fidẽ tueri, etiamſi eâ conſtantiâ, perfidiæ notâ inuratur; regem non vanâ adulatione, quod homunciones ſuis commodis prauè inhiantes ſolent, ſed vero, ad optima prouehendi, ſtudio proſequi; à vitijs deterrere, ad integritatem ducere; colere, non adorare; amare, non palpare; in arduis, & difficillimis comitari; in ipſâ voluptatũ, & illicebrarũ colluuie, ni reſipiſcat bis terq; admonitus deſerere, ne ſibi dedecus hauriat, illi pudorẽ incutiat. Fernandus, ſiquis vnquàm, tot pro Rep. & regiâ auctoritate, mentis ornamenta prætulit; omnibus his condecoratus enituit; ſeque, & ſobolem, in maxima diſcrimina conijci, æquo animo paſſus eſt, vt præſtantiam animi ſingularem, ad vnguem ſeruaſſe poſteritati vniuerſæ palam faceret. Fidei eximiæ faſtigium attigit, dum fidei quoque opinione vanâ contemptâ, fidum ſe regi maximè exhibuit; pro virtute vnicâ ſolicitus, externorũ omnium oblitus bonorum, animæque magnę prodigus, quam ſeruare non ad opinionem plebeculę optauit, ſed ex ſapientium arcanis, ac veræ religionis doctri-

nâ, vixit. Vnum ergo bonum Fernando ipsa virtus extitit, quo fulcro, inter hanc fortunam calumniarum, & illam majestatis, superbus incessit, cum magno vtriusq; contemptu. O virum præstantissimum omnium, quos fides in regē, atq; in aduersis cōstantia, per tot secula cohonestarunt! Fernandum, auditores gemmei, virtutis alumnū, & probitatis dicite, cui nullum aliud bonū præter honestum, cuius opinionis apicem vnum si dempseritis, *nulla non virtus*, sapientissimi Stoicorum principis aurea verba, *laborabit, nulla enim obtineri poterit, si quidquam extra se respexerit.* Hominum plurimi à scelere arcentur, metu pœnæ, & præmiorum spe allecti. Eos verò qui nisi ineptissimi buccinatores, fortes, & temperantes dixerunt. Quod ni ita est, omnino iustitia nulla est. Id enim iniūstissimum ipsum est, iustitiæ mercedem quærere. Probatissimi censentur à viris optimis, qui præmiorum spe sepositâ, minante etiam, in opinione vulgi, infamiæ caligine, pulchritudini integritatis, has inter tenebras, & solitudines adhærescunt. Nihil enim laudari ritè, aut vituperari potest, si áb eius naturâ recesserit, quod aut laudandùm, aut vituperandum, ex suâ caussâ, & primâ origine existimetis. Nā si propter alias res virtus expetitur, melius esse aliquid,

quam

quam virtutem necesse est. Nostrorum hominũ, æuo illo admodum rudi, vix pauci dignoscere poterant, *vera bona, atq; illis multùm diuersa, remotâ errorum nebulâ*. Pro fide adulationem, inania verba pro fortitudine, pro amore dissimulationem, mendacia, & dolos, pro Reip. curâ, in regum oculis venditabant. Fernandus diuinâ quâdam rerum notitiâ instructus, vitiorum sordes, inter ornamenta virtutum numerari nequaquam passus; fidẽ ab adulatione, à verborum ambitione fortitudinem, frõtis fucum ab amore, à Reip. negotijs nauandâ curâ, mendacij prauitatem seiunxit. Quæ verò inde, quæritis, sibi posterisque commoda Fernandus reportauit; nullum enim posse, tot tamq; peculiaribus animi ornamentis par, & æquum præmium reperiri existimatur? *Motum ciuium, belliq; caussas, & vitia, & modos, grauesque principum inimicitias*. Satis nè hæcce, pro tot dotibus mentis, & corporis, bona? Plura adhuc; vitę, & opum iacturam, nominis, & famæ abolitionem. Supplicia hæc nuncupatis, nõ præmia; mihi verò maxima esse maximisq; viris soluenda præmia constat. Cum enim tota virtutis actio in difficillimis exuperandis, nullâ interim constantiæ diminutione factâ consistat; vt mercedem sibi parem recipiat, in se ipsa eam conse-

 quetur,

quetur, difficilioribus adhuc, pro communi bono, laboribus exantlatis, nulloque suæ constantiæ nocumento illato. Nam

Ipsa quidem virtus precium sibi, solaq; latè
Fortunæ secura nitet.

Hic Socratis, hic Catonis exitus; non alia felicitas Pompeio, & D. Iulio potior obtigit; Pætum Thraseam, & Baream Soranum par gloria eripuit. Vnũ superest, optimi adolescentes, Ducis Fernãdi manes veneremur, & pio, atq; suppl[illegible] mentis affectu suspiciamus; si enim prudentiæ rudimenta delibasse palam fatemur, quo nos prũdentiæ normæ ducunt, libenter gradum faciamus, in laudes, inquam, & panegyricas declamationes clarissimorum hominum, quorum dux, & typus Dux Fernandus; vt & ita nos metipsos, pro dignitate geramus, & cæteris, fugatâ prauarum opinionum caligine, pietatis veræ, veræ fidei, fortitudinis singularis exempla probatissima ad imitandum, & posteris tradendum aperiamus.

CAPVT L.

Operi coronis imponitur, felicitate Hispanorum, à Philippo Rege, descriptâ.

Ob

OB Agamemnonis, & Achillis crimina, Graios tortos; cruciatos Gallos, & Lusitanos, in Philippi Pulchri, & Ioannis Secundi erratorum vindictam accepistis. Felices vos, à sensu opposito, & beatos noscite, Hispani auditores, ab Hispaniarum Regis optimi Philippi Quarti virtute, & prudentiâ singulari. Hinc mores egregij manant, & cætera vitæ commoda. Hinc

Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas,
Pacatum volitant per mare nauitæ;
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris.

Senescebat Hispanum Imperium, non maiorum nostri Iouis culpâ, sed rerum à naturâ consistentium impetu, an fato? In lucem editus Philippus, roseâ frontis majestate, iuuentutem ciuibus, & imperio indidit. Torpebant anteà, ad expeditiones, & venationes ciues, in otio delitescebant, & vix pedem mouere tentabant; nostro Philippo venationes, & expeditiones, pro delicijs passim, & generosè obeunte, alacres, & faciles ciues, ad motum, & laborem, quo vitia frigēt, calet vigor, & virtus incenditur. Premebatur senium illud ære multo, nec facilè pelliculam iuuenescentes, illo pondere attriti poterant exuere,

æream monetam dissipat Philippus, vt constet iuuentus, & aureum, atque argenteum seculum, orbis adolescentiæ gloria, in nostrum æuum pedetentim reducatur. En adolescentes aurei, vestrum aureum seculum, quo

——————— *Vindice nullo,*
Sponte suâ, sine lege fidem, rectumq; colebant.

Fidem, & rectum sponte colite, colente sponte Rege Philippo, eâ in ætatis periodo, quæ in illicebras lubrica, cæteros à constantiâ, & integritate, etsi legibus addictos auertit. Cum nostro Ioue congressa, tandem victa, & vincta; potior enim ad superandas natiui ardoris pestes, indoles egregia, quam à legibus solutio, vt tanto hosti subijceretur. Quærant stupidi, buccones poscant alia regni fortunæ fortunata signa, id mihi, & prudentioribus maximæ felicitatis indicium, morum integritas mirabilis, singularis prudentia, solicitudo, pro Reip. commodis, interrupta, in Rege iuuene venustissimo, aureæ, non ferreæ compactionis. Viuite felices, & fortunatissimi, neque enim vllus vnquam dolor, aut cruciatus in priuatos, in Remp. ærumna, & calamitas, hoc Imperatore superstite, defluet.

F I N I S.

Costantinopoli Panicolo[illegible]

